quod sint pœnæ privativæ ad sui executionem nulla actione indigentes: sic etiam ea inhabilitas incurretur. Et ita tenet *Graffis prima parte decisionum, libro 4. cap. vigesimoterto, num.* 12.

65 Cæterùm existimo exigi sententiam Judicis declarantis crimen. Ducor, quod eam rationem, ut irregularitas, excommunicatio, & aliæ censuræ incurrantur absque aliqua sententia, eo quod sint pœnæ privativæ, nulla actione ad sui executionem indigentes, satis reprobavi *lib.* 9. *de matrim. disp.*30. *n.*1. & concluſi *n. ultimo*, nullam hujus rationem inveniri, niſi quod ſic uſu explicatum ſit, ut illæ cenſuræ, nulla expectata Judicis ſententia, incurrantur. Quod tamen non invenitur in hac inhabilitate. Imò Gregor. XIII. in motu ſuo proprio, de datis, & promiſſis pro juſtitia, vel gratia, eodem tenore verborum uſus eſt contra ſuæ conſtitutionis tranſgreſſores, ibi; *eos omnes omni beneficio ipſo jure privamus, ac privatos eſſe declaramus, ac inhabiles ad illa, & ad alia eſſe volumus*. Et tamen *Navarr.* in cius motus proprii expoſitione, *in* 1. *editione n.*41. *in* 2. *n.*44. *Molina tomo* 1. *de juſtit. diſput.*66. *col.*2. *verſ. duo obſerva*, docent exigi hanc Judicis ſententiam, ut incurrantur; quod maximè procedit in privatione officii, & adminiſtrationis, & dignitatis, tunc obtentorum: cùm ea ſit pœna egens ad ſui executionem aliqua hominis actione. Præterea Clemens VIII. in motu proprio de largitione munerum religioſis interdicta, rigidioribus verbis eſt uſus, ibi: *Omnibus, & ſingulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis eo ipſo privatus, ac ad illa, & alia in futurum obtinenda inhabilis perpetuò, & incapax exiſtat, & hoc abſque ullo ſuperioris decreto, aut miniſterio*. Et tamen *Soſſa* in illius explicatione, *num.* 102. dicit exigi aliquam Judicis ſententiam.

66 Secunda difficultas eſt, quid nomine dignitatum, officiorum, & adminiſtrationum, quibus privat Pontifex in hoc motu proprio moniales abſque legitima licentia egreſſas, ac facultatem egrediendi concedentes, intelligatur. Breviter dico intelligi dignitates, & officia, & adminiſtrationes habentia conjunctam ſuperioritatem quamdam, ut eſſe Generalem, Provincialem, aut ſuperiorem localem: non autem alia officia, qualia ſunt eſſe concionatorem, confeſſorem, lectorem Theologiæ. Ducor quod Sixtus V. in ſuo motu proprio contra regulares illegitimè natos, eos dignitatibus, gradibus, & officiis privavit. Et tamen ipſemet in alio motu proprio, quem in prioris declarationem edidit, ſic ea verba explicuit. Et ita etiam motum proprium Clement. VIII. de largitione munerum utentem eiſdem verbis (ut *n. precedenti* notavimus) explicat *Soſſa* in expoſitione illius *num.*101. Idem docent in terminis motus proprii Pii V. & Gregor. XIII. interdicentium ingreſſum fœminarum in monaſteria virorum, ſub pœna privationis officii in admittentes, *Manuel* in expoſitione ejus motus proprii Pii V. *num.* 21. *Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium, verbo ingreſſus monaſteriorum monialium, in ſuis annotat. n.* 8. & uterque addit in quodam ſuo Capitulo generali explicatum eſſe, comprehendi quoque Viſitatorum, & Commiſſariorum generalium, vicarii monachorum, aut monialium officia, non autem officium diffinitorum, aut diſcretorum.

67 Tertia difficultas eſt, quæ moniales egreſſæ clauſura in his pœnis comprehendantur. Videntur enim non comprehendi exeuntes à ſola clauſura ſtricta, quam intra clauſam conventus januam contineri diximus *nu.* 6. ſed ſolas à ſeptis monaſterii exeuntes, & ſic non ligari exeuntes ad Eccleſiam ſuam, vel ad ſpatium, quod eſt inter clauſam monaſterii portam, & aliam ſæcularibus patentem, per quam intrant. Quod videtur probari ex illis verbis motus proprii: *à monaſteriis exire, nec extra illa, niſi ad neceſſarium tempus ſtare*, & ibi: *aliter egredientes, & comitantes; ac receptatrices perſonas*. Nec obſtat Gregor. XIII. in ſuo motu proprio, qui incipit: *Deo ſacris Virginibus*, declaraſſe clauſuram eſſe ſpatium, quod intra januam monaſterii ſemper clauſam continetur: quia in ea non meminit harum pœnarum, nec declaravit hunc motum proprium eas continentem, ſed alium Pii V. qui incipit: *Paſtoralis*, in quo pœnas has non ſtatuerat.

69 At dicendum eſt, re vera incurrere ſolo egreſſu ex ſtricta clauſura: quia eas ſtatuit Pius V. in moniales clauſuram violantes, ſeu è monaſterio egredientes. At eam violant, & cenſetur à monaſterio egredi, ſi ad Eccleſiam, aut ſpatium, quod eſt intra clauſam monaſterii januam, & aliam ſæcularibus patentem egrediantur, ut explicuit Gregor. XIII. in ſuo motu proprio, qui incipit: *Deo ſacris Virginibus*. Ergo incurrunt has pœnas. Atque hujus ſententiæ videtur *Manuel qq. regular. tom.*1. *q.*49. *art.*5. ubi ait, ſubdi his pœnis egredientes quomodocumque monaſterii clauſura.

69 Exigitur tamen ad incurrendas has pœnas egreſſum non eſſe ita levem, ut ſolam venialem culpam conſtituat. Quod ex ſe manifeſtum eſt, cùm nec excommunicatio pro ſola veniali culpa ferri poſſit, & aliæ tam graves pœnæ injuſtæ eſſent, utpote quæ gravitati delicti valde diſpares, ſi pro ſola veniali culpa incurreretur. Quando autem ſit venialis culpa ratione parvitatis materiæ, & an talis ſit, quando cauſa eſt juſta, & adeſt legitima licentia, non tamen in ſcriptis, dicemus *c. ſeq. n.*29. 30. & 69.

70 Nec etiam credo incurrere has pœnas moniales licitè abſque expreſſa ſuperioris licentia egreſſas, ratione periculi in mora adeundi ſuperioris, quando poſtea ſuperiorem de egreſſu non certiorem facerent, caſu, caſu quo *n.* 62. ad id eas teneri diximus. Quamvis *Lalius Zecchius de Repub. Eccleſiaſt. tit. de regular. c.*3. *n.*15. *verſ.* 9. dicat eas incurrere, ſed id non credo. Quia motus proprius ſolas injuſtè egredientes pœnis illis afficit, ac hæc non dicuntur injuſtè egreſſæ. Qua ratione etiam nec incurrere credo, quę legitimè egreſſæ non redeunt, finita egreſſus cauſa, ſed diu demorantur, aut aliò divagantes, non redeunt via recta ad monaſterium. Quia etſi has peccare mortaliter, & eſſe clauſuræ violatrices diximus *n.*60. & 61. & pœnæ hujus motus proprii ſint contra violantes clauſuram, & in eo quoque jubeatur reditus ſtatim finita cauſa; at quando motus proprius deſcendit ad pœnas infligendas, non generaliter loquitur eſt contra ejus conſtitutionis violatores, ſed ſtrictè contra ſolas moniales illicitè exeuntes, & eis faventes. At hæc monialis non illicitè exivit, quamvis poſt exitum moram illicitam trahat. Et pœnas, maximè adeò graves, reſtringere oportet. Quod idem in ſimili ſuſtinet latè probans Soſſa in expoſitione motus proprii Clem. VIII. de largitione munerum religioſis interdicta *num.*100. Cùm enim Clemens VIII. interdicat, ibi religioſis munerum largitionem, & quibuſcumque aliis eorum receptionem abſque conditionibus ibi petitis, quia tamen, quando in tranſgreſſores pœnas indixit, ſolius largitionis meminit, dicit ibi Soſſa non ligari illis pœnis irecipientes contra eam conſtitutionem. Quare non approbo, quod dicit *Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit *in fin.* §. 10. ubi ait, non regredientem ſtatim finita egreſſus cauſa, ſubjici his pœnis.

71 Nec etiam incurrunt moniales converſæ profeſſæ exiſtentes in domibus monaſterio contiguis cauſa petendi eleemoſynas, ſi ob inutilia quæcumque, imò & ad facinora perpetranda ex illis egrediantur. Quia cùm domus illæ non ſint regulares, nec intra clauſuram, ut *n.*55. diximus, non dicuntur è monaſteriis egredi.

72 Quarta difficultas eſt, quando perſonæ receptantes, aut comitantes monialem illicitè egreſſam, incurrant has pœnas. Breviter reſpondeo, eas non incurrere, quæ nullo pacto ſunt cauſa egreſſus, nec ut monialis extra monaſterium perſeveret, ſed eam recipiunt, aut comittantur poſt egreſſum, ut ejus honori, & caſtitati conſulant. Quia tantum abeſt, ut perſonæ hæ ſint alicujus delicti reæ, ut potiùs actum meritorum exerceant. Atque ita docent *Navarr. comment.*4. *n.*51. *verſ. in quibus nota primo, de regularib. Graffis* 1. *p. deciſion. lib.*4. *c.*23. *n.*17. *Azor. tomo* 1. *inſtit. moral. lib.*3. *c.*8. *q.*1. *in fin. verſ.*3. *quæres, Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit in fine, *in* §.11. *in fin. Lalius Zecchius de Rep. Eccleſiaſtica tit. de regular. c.*3. *num.*15. *verſ.* 9. *Thomas Zerola in praxi Epiſcopali, in ſecunda edit. p.* 1. *verbo moniales ad* 16. *quæſitum, dub.* 1. *Manuel qu. regular. tomo* 1. *qu.*49. *artic. ultimo*. Subdit autem ſe non audere excuſare ab his pœnis cognatos, qui nulla neceſſitate ducti, ſed ſola cauſa vitandi opprobrium, vel inurbanitatem, vel cauſa amicitiæ, aut cognationis id efficerent. Sed meliùs *Manuel* dicit excuſari ab his pœnis, dummodo non faveant egreſſui, nec perſeverantiæ in illo; quod idem apertè ſentit *Llamas proximè allegat.* ait enim eos ſolos incurrere, qui ex comitatu, aut receptione cooperantur delicto. Et ratio eſt, quia excommunicationem latam in hæreticorum receptatores, illi ſoli incurrunt qui receptant ut hæreticos, id eſt, favendo aliquo modo hæreſi, ut diximus, *lib. ſecundo, cap.*10. *num quarto*. Ergo ſimiliter illi ſoli receptatores, & comitantes his pœnis ſubdentur, qui recipiunt monialem egreſſam, faventes aliquo modo illius delicto.

73 Nec incurrent, qui quomodocumque receptant, aut comitantur moniales novitias egreſſas. Quia motus proprius de ſolo egreſſu profeſſarum loquitur. Sic *Navarr. eodem comment.*4. *num.* 47. *verſic. circa quod in pœnitentia prætorio, Thomas Zerola eodem verbo monialeſ ad* 16. *quæſitum, dub.* 4.

74 Quinta difficultas eſt, an prædictis pœnis ligentur Epiſcopi, & religioſi, & aliæ perſonæ indignitate conſtitutæ, comitantes, aut recipientes moniales injuſtè egreſſas, vel Epiſcopi illicitam egreſſus licentiam concedentes? Ratio dubitandi eſt, quia motus proprius prædictus, dum pœnis ſubjicit comitantes, aut receptantes, ſic ait: *nec non comitantes ac illarum receptatrices perſonas, ſive laicas, aut ſaculares, vel Eccleſiaſticas*, ubi nullam Epiſcoporum, religioſorum, aut perſonarum in dignitate conſtitutarum mentionem fecit. At nomine clericorum in materia odioſa non comprehenduntur Epiſcopi, nec clerici in dignitate conſtituti, ut canonici Eccleſiæ cathedralis; ut bene docent *Abbas rubricâ de vita, & honeſtate clericorum num.*4. *Roſellæ verbo clericus, ſtatim in princip. ubi Angelus, Sylveſter, & Tabienæ*, qui tres benè addunt, nec etiam comprehendi regulares, quia in omnibus his peculiaris qualitas in clericis communibus non exiſtens reperitur. De Epiſcopis etiam concedentibus eam licentiam eſt ſpecialis ratio dubitandi: nam *ex quia periculoſo, de ſententia excommunicationis, in* 6. decernitur Epiſcopos nulla ſuſpenſione jure lata ligari, niſi in canone illo fiat expreſsa eorum mentio; ſecus autem de excom-

communicatione. Ergo non incurrent eam officii ſuſpenſionem latam in eo motu proprio.

75 Verùm exiſtimo omnes hos comprehendi in excommunicatione lata contra receptantes, aut commitantes. Ducor, quod generaliter illi cenſuræ ſubjecerit perſonas comitantes, ſeu receptantes; & poſtea, ne quis ſe liberum ab hac cenſura exiſtimaret, quod ſit ſæcularis, Eccleſiaſticus, aut conſanguineus, expreſſit omnia iſta, non quaſi volens reſtringere, quod indefinitè, ac generaliter de perſonis dixerat; ſed volens ampliare, ne his prætextibus quiſpiam ſe excuſari exiſtimaret. Epiſcopi etiam incurrerent eam ab officio depoſitionem, ſi injuſtè licentiam egreſſus concederent: quia expreſſam illorum mentionem fecit motus proprius. Cùm enim in principio dixiſſet, Epiſcopi, & ſuperioris religionis eſſe licentiam egreſſus concedere, in fine hac cenſura afficiens injuſtam licentiam concedentes, dixit: *inſuper tam egreſſas, quam preſidentes, & alios ſuperiores prædictos eis licentiam hujuſmodi concedentes*, &c. & ita illis verbis: (*ſuperiores prædictos*) comprehendit Epiſcopos, & ſuperiores regulares, de quibus antè dixerat.

76 Ultima difficultas eſt, quis poſſit abſolvere ab excommunicatione, & diſpenſare in privatione officiorum, & inhabilitate ad illa, ſtatutis in hoc motu proprio. Et quidem de excommunicatione manifeſtum eſt à ſolo Pontifice ejus abſolutionem concedi poſſe: quia Pontifex eam ſibi reſervat. Quod ſi occulta eſſet excommunicatio ea, poſſet utique Epiſcopus ab ea abſolvere *Trident. ſeſſ.*24. *de reformat. cap.* 6. ubi omnes caſus occulti ſibi conceduntur. Quamvis minus bene *Lalius Zecchius de caſibus reſervatis, cauſu* 10. *n.*1. dicat, neque Epiſcopum poſſe ab hac excommunicatione occulta abſolvere. Quia ait Cardinales declaraſſe, non poſſe Epiſcopum virtute illius conceſſionis abſolvere à caſibus, quos poſt Tridentini publicationem ſibi Pontifex reſervavit, qualis eſt hic; & *Thomas Zerola in oraxi Epiſcop.* 2. *edit. verbo moniales, ad* 8. *quæſitum*, refert quemdam modernum ſcribentem quaſdam conſcientiæ quæſtiones in Archiepiſcopatu Bononienſi tenuiſſe idem, dicitque ſe vidiſſe litteras Cardinalis montis Elparii, in quibus idem affirmabat eſſe de mente Cardinalium. Cæterùm id non credo, quia cùm in iis reſervationibus non fiat mentio decreti Tridentini, non cenſetur illi derogatum, juxta ea, quæ dixi *lib.* 3. *de matrim. diſp.*26. *n.*7. Inſuper quia, etſi hæreſi reſervata ſit in Bullis Cœnæ poſt Trident. multi, ut diximus *lib.*2. *c.*11. *nu.* 2. tenent poſſe Epiſcopum ab illa, ſi occulta ſit, abſolvere, virtute ejus decreti. Et quamvis alii negent, non ducuntur eo quod poſt id decretum reſervata ſit, ſed quia Pontifices declararunt; & conſtat ex ibi dictis. Præterea quilibet confeſſarius poteſt abſolvere ab illa excommunicatione virtute cruciatæ ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo, quia expreſsè concedit hanc facultatem illis, quando cenſuræ ſunt reſervatæ. Sic tradunt *Sorbus in privilegia Mendicantium, verb. ingreſſus in monaſteria monialium in ſuis annot. n.*11. *verſ. dico primum, & Manuel* in expoſitione motus proprii Pii V. contra fœminas ingredientes in virorum monaſteria, *n.*33. qui bene etiam dicit *cum Sorbo eodem nu.*11. *verſ. item patres*, poſſe etiam religioſos noſtræ Societatis JESU, qui confeſſarii approbati ſunt, abſolvere toties, quoties ab ea. Quia Paulus III. conceſſit religioſis Societatis JESU, ut habetur *in compendio privilegiorum ejusdem Societatis* §. 1. ut poſſent toties, quoties abſolvere ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & ab omnibus pœnis, & cenſuris conſurgentibus ex eis, præterquam in contentis in Bulla Cœnæ. Benè etiam dicunt, poſſe per communicationem hujus privilegii fratres Minores abſolvere ab ea eodem modo. Atque ſimiliter idem dicendum eſt de omnibus aliis religioſis, qui Mendicantium privilegiis fruuntur. Quod ſi petas, quid dicendum ſit, quando excommunicatio hæc eſt deducta ad forum contentioſum, & ſic denunciata, dicam *cap.* 17. *num.* 42. & 43.

77 Specialis autem eſt difficultas de privatione officiorum, & inhabilitate ad illa; *Manuel qq. regular. tomo* 1. *qu.* 24. *art.*17. latè probat poſſe Provinciales, & Generales religionum exemptarum diſpenſare: idque probat, quia habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. At Epiſcopus poteſt diſpenſare in pœnis jure latis ob adulterium; & alia crimina minus gravia, dum non expreſsè renovantur; ut tradunt textus, & omnes ſcribentes *ibi c. at ſi clericis*, §. *de adulteriis, de judiciis*, & multi alii, quos refert, & ſequitur *Henriquez lib.* 14. *de irregularitate. capit.* 19. *numero ſecundo*, quæ omnia in hoc caſu concurrunt: nam ſolam excommunicationis pœnam reſervavit ſibi Pontifex: & monialem egredi monaſterio, quod ſoli juri humano adverſatur, minus grave crimen adulterio eſt. Sed *Graffis* 1. *p. deciſionum lib.*4. *c.*23. *num.*12. negat poſſe ſuperiores religionum, quamvis delictum eſſet occultum: & ipſemet *Manuel* mitiùs loquitur in expoſitione motus proprii, ut referemus *num. ſequenti*.

78 Sed cùm nos tenuerimus *n.* 65. pœnam hanc non incurri abſque Judicis ſententia, non poteſt dari caſus, quo res ſit occulta, cùm ad forum contentioſum deducta ſit, Judicisque ſententia acceſſerit. Quare exiſtimo, nec Epiſcopo, nec his ſuperioribus integrum eſſe in hac inhabilitate, & privatione à Pontifice inducta, ac ſententia Judicis decreta diſpenſare. Si autem teneremus eam abſque aliqua ſententia incurri, tunc, exiſtente facto occulto, poſſent ſuperiores hi diſpenſare. Quia in inhabilitate contracta ob delictum occultum, poteſt Epiſcopus diſpenſare cum ſibi ſubditis virtute *Trident. ſeſſ.*24. *de reformat. c.*6. ut benè tradit *Henriquez lib.*13. *de excommunicatione c.*56. *nu.*1. qua facultate gaudent omnes Generales, & Provinciales, & ſuperiores locales ordinum mendicantium, & fruentium eorum privilegiis per motum proprium Pii V. cujus verba refert *Manuel qq. regular. tomo* 1. *q.*61. *art.*9. ubi conceſſit omnibus ſuperioribus D. Dominici, & conſequenter omnium ordinum mendicantium, & fruentium eorum privilegiis, ut gaudeant prorſus eadem facultate erga alios regulares ſubditos, qua gaudent Epiſcopi virtute *Trident. ſeſſ.*24. *c.* 6. *de reform.* Et in propriis terminis docet *Manuel* in expoſitione motus proprii Pii V. contra fœminas ingredientes monaſteria virorum, *n.*36. & *Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium verbo ingreſſus in monaſteria monialium n.* 11. *verſ. dicitur* 4. poſſe Epiſcopos virtute ejus decreti in hoc diſpenſare, & prædictos ſuperiores regulares. Et quamvis uterque loquatur de Provincialibus horum ordinum; at motus proprius expreſsè loquitur etiam de ſuperioribus localibus. Idque jure optimo, quia hi quoque quaſi juriſdictionem Epiſcopalem in ſuos ſubditos habent, ut probavi *lib.* 8. *de matrim. diſp.*3. *n.*9. Atnequeunt ſuperiores hi religionis hanc facultatem delegare, ut bene docent *Manuel eodem n.*36. & *Sorbus ibidem*, quia Pius V. in eo privilegio expreſsè dicit, ut per ſe ipſos id poſſint. At virtute Bullæ cruciatæ non poſſunt confeſſores in his diſpenſare: quia ſolam abſolutionem à cenſuris eis concedit. At privatio hæc, & inhabilitas non ſunt cenſuræ, ſed quædam pœnæ, ut conſtat ex *c. quærenti, de verborum ſignificatione*, ubi deciditur, nomine cenſuræ ſolùm comprehendi excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum. Et ita docent *Sorbus ibi, verſ. dicitur* 3. & *Manuel* in eadem expoſitione motus proprii, *nu.* 35. ubi ſubdit cum *Sorbo ibid verſ. iterum eſt notandum* per ampliſſimam conceſſionem Eugenii IV. fratribus Minoribus, poſſe eos à ſuis confeſsoribus per Prælatos deputatis ab hac, & ſimilibus inhabilitatibus abſolvi ſemel in vita, dummodo integro anno recitent qualibet hebdomada ſemel Pſalmos pœnitentiæ cum ſuis Litaniis: quod ſi legitimo impedimento aliqua hebdomada omiſerint, debent recitare hebdomada anni ſequentis. Quod privilegium refert compendium privilegiorum Mendicantium, *verbo abſoluto extraordinaria quoad fratres* §. 3. & 4. Immò & per privilegia concedentia abſolutionem ab omnibus caſibus reſervatis, & à cenſuris, & pœnis conſurgentibus ex eis, poſſet confeſsarius habens tale privilegium abſolvere in foro conſcientiæ à prædictis privationibus, & inhabilitatibus, ut diximus *num.* 76. quia prædictæ privationes, & inhabilitates ſunt pœnæ impoſitæ contra violatores prædicti decreti*.

CAPUT XVI.

De clauſura monialium quoad ingreſſum cujuscumque perſonæ in earum monaſteria.

SUMMARIUM.

*Quot quæſtiones diſputandæ ſint? n.*1.
Proponuntur textus, quibus ingreſſus in monaſteria interdicitur, num. 2.
*An Reges, Reginæ, Imperatores, Imperatrices, ac eorum filii hæc prohibitione comprehendantur? n.*3.
*An pueri poſſint intra monialis clauſtra recipi? refertur quadam ſententia, n.*4.
*Sententia Auctoris, & quid in dubio, an habeant uſum rationis? n.*5. 6. & 7.
*Quid de amentibus? n.*8.
An moniali iter agenti, aut legitimè extra monaſterium exiſtenti interdictus ſit ingreſſus in aliud, vel ejuſdem, vel diverſi ordinis monaſterium? Refertur quadam ſententia, numero 9.
*Sententia Auctoris, n.*10.
*Quid nomine monaſterii monialium continetur, ut illuc ingredi non liceat, & an liceat monialem, & ſacularem eſſe ſimul, ita ut neutra clauſuram violet? n.*11.

1 QUintuplex eſt diſputanda quæſtio. Prima: Quibus perſonis hic ingreſsus interdicatur, & quid nomine monaſterii monialium intelligatur. Secunda: Cujus ſit licentiam ad hunc ingreſſum concedere. Tertia: Qualis debeat eſſe hæc licentia, & an cauſis juſtis indigeat, & quæ ſint illæ? Quarta: Quæ cenſuræ latæ ſint in ingredientes extra caſus permiſsos, & in moniales admittentes, & quis poſſit abſolvere, aut in eis diſpenſare. Ultima: An non ſolùm ingredi, ſed etiam accedere ad monialium monaſteria cauſa eas inviſendi, ac eas alloqui, ſive ſcribere, ſit jure interdictum.

2 Quæſtio prima. Quibus perſonis interdicatur ingreſſus in monaſteria monialium, & quid nomine hujuſmodi monaſterii intelligatur. Præmittendum eſt, ingreſsum hunc inter-

interdictum esse *cap. periculoso, in princ. de statu regular. in* 6. ibi : *Nulli aliquatenus inhonesta persona, nec etiam honesta (nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit speciali licentia) ingressus, vel accessus pateat ad easdem moniales*. Quod decretum addens excommunicationem innovat *Tridentinum sess.*25. *de regular. c.*5. ibi : *Ingredi intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantùm Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessariis*. Et idem confirmavit Gregor. XIII. in quodam motu proprio, qui incipit : *Ubi gratia*, edito anno 1575. Idibus Junii, ibi : *& alias pœnas aliter ingredientibus, & monialibus, quæ ingredientem admiserunt*, cujus verba referemus de ejus intellectu disputantes infra *n.*7. & Pius V. in suo motu proprio, qui incipit : *Circa pastoralis*, innovavit, & confirmavit omnia contenta *in dicto capit. periculoso*, & conjecunctere hanc prohibitionem.

3 Utrum verò in hac prohibitione comprehendantur Reges, Reginæ, Imperatores, Imperatrices, & filii, & filiæ eorum? Dicendum est non comprehendi, ut in simili dicetur, *cap. sequenti, num.*5. dum sermo erit de ingressu fœminarum in monasteria virorum. Ratio est, quia Gregorius XIII. in citato motu proprio, postquam dixit personas cujuscumque conditionis ea prohibitione comprehendi, addit id esse verum, licèt illæ personæ comitissæ sint. Quo loquendi modo satis clarè significatur, ea prohibitione non teneri personas status multo altioris, & Tridentinum, dum utitur eodem modo loquendi, nomine personarum cujuscumque generis, aut conditionis, non comprehendit personas tantæ notæ, sicut dum dicit, cujuscumque ætatis, non comprehendit infantes, ut dicetur *n. sequenti*.

4 Circa hanc ergo prohibitionem prima difficultas est, an infantes nondum rationis usum adepti, possint in monialium monasteria admitti? Non dubitamus, an ipsi ingrediendo peccent, quamvis auctores hoc confundant; cùm enim rationis usu careant, nec peccati, nec censuræ contrahendæ participes esse possunt. Sed quod in dubium vertitur, est, an moniales hos intra monasterii claustra admittentes, vel quicumque alii, qui hujus ingressus causa sunt, peccent in hanc prohibitionem, Et videntur peccare, quia *Tridentinum eo cap. quinto*, dicit : *cujuscumque conditionis, sexus, vel ætatis. Paulus Tuschus de utilitate, & regimine Ecclesiarum libro secundo, cap.*19. *numero* 25. dicit esse strictam interpretationem Doctorum asserentium posse infantes admitti.

5 Verùm dicendum est prædictam prohibitionem minimè ad pueros nondum rationis usum adeptos extendi, ac proinde nullius culpæ reos esse, qui causa eorum ingressus in monialium monasteria sunt. Ducor, quod etsi textus Tridentini videatur prima facie eos comprehendere sub illa universali, *cujuscumque ætatis* : at si mens Concilii perpendatur, eos tamen solos videtur comprehendere, qui usum rationis nacti sunt. Quippe ejus prohibitionis finis est, ne pax monialium perturbetur, incitenturque ad peccandum. Quod non contingit ex solo infantum ingressu, Atque ita docent *Navarr. summa c.*26. *addit.*2. *ad numerum* 243. *cap.*25. *& comment.*4. *qu.*59. *vers.*15. *quæritur. Corduba summa qu.*60. *in fin.* quamvis in secunda editione aliquantulum titubet, dicens videri hanc prohibitionem de his quoque intelligi *Henriquez lib.*4. *de pœnitentia c.*5. *nu.*2. *in comment. lit. M, & lib.*13. *de excommunicatione cap.*42. *n.*3. *in comment. lit.* *, *Manuel* in expositione motus proprii Pii V. interdicentis ingressum mulierum in monasteria virorum, & *qq. regularibus tomo primo, quæst.* 46. *artic.* 1. *Sorbus in privilegia Mendicantium* 2. *p. verbo ingressus in monasteria monialium in sua annotationibus num.* 2. *Thomas Zerola in praxi Episcopali* 2. *edit. parte prima, verbo moniales, ad* 8. *quæsitum, versic.* 4. *ad finem. Azor. tom.*1. *institut. moralium lib.*13. *c.*8. *qu.*5. *Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit in fine, *in* §. 8.

6 Quidam tamen ex his Doctoribus censent, non licere ingressum puellarum sex annos excedentium, secus si eos non excedant, quia censent priores usu rationis jam potiri. Sic *Manuel* in eo motu proprio, *n.*12. *Sorbus allег. n. praced.* Alii dicunt licere; donec octo annos adipiscantur, secus, si post; sic *Llamas* allegatum *num. præced.* Alii dicunt licere usque ad septennium, secus post; sic *Corduba n. præcedenti allegatus*. Sed cùm quandoque usus rationis ante septennium contingat, & quandoque post, cautiùs loquuntur auctores, dicentes hanc prohibitionem non ligare pueros, donec rationis usum adipiscantur, quod antea nec culpæ, nec ad peccatum incitandi capaces sint. Et ita loquuntur *Navarr. utroque loco, Henriquez utroque loco, Thomas Zerola allegati num. præced. Manuel qq. regularium tomo primo, qu.*46. *art.*1. Quare, nisi ignorantia excusetur pueri rationis usum jam nacti, peccabunt mortaliter, & incurrent excommunicationem ingrediendo hæc monasteria, ut benè tradit *Henriquez lib.*4. *de pœnitentia c.*5. *num.*2. *in comment. litera M*, quia ut probavi *lib.*1. *hujus tractatus, cap.* 11. *n.* 8. incurrunt hi excommunicationem facientes actum sub illa interdictum.

7 In dubio autem, an pueri habeant rationis usum necne, sic distinguendum est. Si septennes sint, comprehendun tur hæc prohibitione, secus si nondum septennes. Ducor quod cùm usus rationis communiter septennio completo accidat, is in dubio ante eam ætatem non præsumitur, secus post, ut probavi *lib.* 1. *de matrimon. disputat.* 16. *numero* 10. & 11.

8 Secunda difficultas est, an amentes sub hac prohibitione contineantur? Videntur enim minimè comprehendi, cùm rationis usu careant, instar infantium, *Azor. tomo* 1. *instit. moral. lib.*13. *cap.*8. *q.*5. relata opinione dicente eos puberes factos comprehendi sub dicta prohibitione, ait : si hæc sententia intelligatur de amentibus, nunquam rationis usu utentibus, idem juris videtur esse de illis, ac de infantibus, quia utrique nec peccati, nec excommunicationis participes esse possunt. Quare dicit eam sententiam locum habere in amentibus lucida intervalla habentibus, quia peccare queunt, & excommunicationi subjici. Sed tandem sententiam, quam verissimam reputo, amplectitur dicens hoc comprehendi, si pubertatem nacti sint, sub hac prohibitione. Quamvis enim ipsi culpæ ineapaces sint, eam tamen incurrent, qui eorum ingressus causa fuerint, utpote qui prohibitioni huic contraveniant. Ratio est, quia hi ad peccatum incitare queunt, occasionem peccandi aliis prebendo, tumultum excitare, perturbare moniales, turpiter jocari, loqui turpia, jocosa, & vana, & alia id genus plurima, religionis honestati, & decentiæ valde dissona. Atque ita docent *Navarrus comment.* 4. *n.* 155. *versic. quinto-decimo quæritur. Manuel utroque loco, Llamas, & Thomas Zerola ubi n.* 5. *allegati sunt*.

9 Tertia difficultas est, an interdictus sit hic ingressus moniali ex legitima licentia egressæ à suo, ut si transferatur ad aliud monasterium? *Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit in fine, *in* §. 11. *in fin.* ait licitum esse, hanc monialem iter agentem admittere in hospitium cujuscumque monasterii, sive ejusdem, sive alterius ordinis, quod hoc non sit contra clausuram. Immò cum sit valde decens honestati monialis egressæ, credendum est, mentem Pontificum ingressum interdicentium hanc fuisse;

10 Cæterùm quadruplex casus distinguendus est. Primus est, quando monialis ejusdem ordinis, & habitus iter agens accederet in hospitium admittenda. Et tunc existimo veram esse præcedentem sententiam, atque adeò nulla alia causa, nec petita superioris licentia integrum esse Abbatissæ hanc monialem admittere, cùm non censeatur extranea, cùm sit ejusdem ordinis, & habitus. Atque ideo prohibitio ingressus personarum extranearum in monialium monasteria, qualis est ista, non comprehendit hanc monialem. Secundus casus est, quando in aliqua peculiari domo esset, atque sanitatem recuperaret, velletque gratia animi recreandi, aut moniales invisendi, ingredi aliud monasterium eiusdem ordinis, vel habitus, quod eo in loco esset. Et tunc idem credo, quod in casu præcedenti, propter rationem in eo traditam. Tertius est, quando iter agendo, non esset, moniales nollent eam admittere, nec reperiretur domus, in qua commodè noctem ducere posset. Et tunc existimo legitimam esse causam, ut ex Prælati superioris illius monasterii licentia, quod diversi ordinis, aut habitus est possit intra illud, in hospitium admitti, quia religiosa charitas, quam inter personas religiosas maximè decet esse, honestasque status monialis illius id petit. At absque prædicta licentia id non liceret, quia cùm diversi ordinis monialis sit, est revera respectu illius monasterii extranea. Ultimus casus est, quando solùm gratia animi recreandi, aut monialis cognatæ invisendæ, vellet illud diversi ordinis, aut habitus monasterium ingredi. Et tunc non existimo esse justam ingressus causam, nec superiorem posse ex hac sola causa licentiam concedere, quod revera sit respectu illius monasterii extranea. Quare sicut respectu aliarum personarum extranearum hæc non est justa causa; ita nec respectu huius monialis, eo vel maximè quod per cancellorum fenestrellam, aut crates monasterii potest cognatam invisere, & alloqui.

21 Quarta difficultas est, quid nomine monasterii monialium comprehendatur, quando interdicitur hic ingressus. Breviter respondetur, idem prorsus dicendum esse, quod diximus *c. præced. à n.* 6. *usque ad n.* 9. de limitibus, quod egredi non est permissum monialibus: si enim intra illos limites ingrediatur extraneus, adversatur huic ingressus prohibitioni, secus si eam solam partem ingrediatur, ad quam monialibus exire permissum non est, quia, ut optimè ait *Manuel Quæst. regul. tom.* 1. *quæst.* 46. *art.* 1. *in fin.* is locus est intra, aut extra clausuram. Si extra esse asseras, poterunt sæculares illuc admitti; at moniales illinc egredientes violabunt clausuram. Si asseras esse intra, sæculares ingredientes adversabuntur huic prohibitioni; monialibus autem integrum erit illic esse. Quare optimè infert *Manuel ibi*, receptacula, quæ sunt statim in porta monasterii, quæ solent esse clausa, contineri intra clausuram, & sic interdici ingressum, quia sunt intra monasterii habitationem, & clausuram, & monialibus licitum est illic esse. Licebit tamen absque clausuræ violatione, monialem, & personam sæcularem simul esse in portæ ejus receptaculi limine, ita ut à parte interiori sit monialis, ab exteriori autem sit sæcularis; quia neutra suos limites transgreditur, cùm pars interior sit intra clausuram, exterior autem extra illam.

SUM-

SUMMARIUM.

An Episcopi sit concedere ingrediendi in quacumque monialium monasteria? refertur quadam sententia. n. 12.

Explicatur sententia auctoris. n. 13.

Quid de Capitulo sede vacante, & Prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, & Vicario Episcopi, & omnium horum? n. 14.

Quid de immediato conventus Prælato? n. 15.

An si monasterium illud auctoritate Apostolica sit soli superiori conventuali subditum, possint Provinciales, & Generales cognoscere de licentia per hunc data, an sit justa, & idem de Episcopo, quando clerico sæculari esset subjectum? n. 16.

An fratribus Minoribus interdictum sit absque licentia Sedis Apostolica quacumque monialium monasteria ingredi? n. 17.

An Cardinali, & Episcopo habentibus licentiam ingressus in monasteria, cum sociis, quos elegerint, licet fratres Minores in sociis eligere? n. 18.

An fratres Minores invitati ab Episcopis, & Visitatoribus Canonicorum monialium, possint illuc ingredi, ex privilegio Leonis X. & an illud revocatum sit per motum proprium Gregorii XIII. quod dicatur privilegium personale, & quod reale, solaque personalia eo motu proprio revocentur? n. 19.

An ad ingressum monasterii Sanctæ Claræ, & Conceptionis ordinis Minorum subjecta exigatur licentia Papæ? n. 20.

An Abbatissa possit concedere licentiam ingrediendi in monasteria? refertur quadam sententia. n. 21.

Explicatur sententia auctoris. n. 22.

An possit superior concedere licentiam generalem Abbatissis, & confessariis, ut facultatem hujus ingressus impertiantur? n. 23.

An superiores, quibus incumbit licentiam ad hunc ingressum concedere, possint in casibus necessariis propria licentia ingredi? refertur quadam sententia. n. 24.

Explicatur sententia auctoris. n. 25.

Quod si non jure ordinario, sed delegato haberent facultatem hujus licentia concedendæ? n. 26.

Quid si ex licentia limitata esset ad personas orto officio fungentes? n. 27.

12 QUæstio secunda. Cujus sit licentiam ad ingressum in monasteria monialium concedere. Et prima quidem difficultas est, an Episcopus eam concedere valeat, quando monasteria non ipsi, sed regularibus subjecta sunt? Videtur enim posse, quod *Trident. sess.* 25. *de regular. c.* 5. disjunctive loquatur asserens eam facultatem ab Episcopo, vel superiore concedendam esse: atque ita *Lælius Zecchius de Republica ecclesiastica tit. de regul. c.* 3. *n.* 15. *vers.* 8. refert sacram Cardinalium Congregationem decrevisse etiam in monasteriis, quæ regularibus subduntur, solos Episcopos hanc licentiam concedere posse, quamvis ipse nihil definiat; & *Thomas Zerola in praxi Episcopali in* 2. *editione p.* 1. *verbo moniales, ad* 8. *quæsitum, vers.* 4. *ad finem*, dicit se vidisse Neapoli observari, ut Episcopus in his quoque monasteriis hanc licentiam concedat.

13 Sed dicendum est, Episcopi esse eam licentiam concedere auctoritate ordinaria, quando monasteria sunt sibi subjecta, auctoritate delegata, quando sunt immediatè subjecta Sedi Apostolicæ : Prælatorum autem regularium id esse in monasteriis, quæ ipsis subduntur. Quare Tridentinum ea distinctione usum est, ad denotandum licentiam Episcopi necessariam esse, & sufficere respectu monasteriorum duplicis generis prioris; aliorum autem superiorum, respectu monasteriorum posterioris generis. Et ratio est, quia ejus est hanc licentiam concedere, cujus est clausuram monialibus, indicere, ut optimè docent *Joannes Monachus c. periculoso, n.* 1. *& n.* 1. *de statu regularium, in* 6. *& ibi Fruneus in principio, n.* 5. *Dominicus n.* 10. At Episcopi est clausuram indicere in duplici priori monasterio, & licentiam exitus in casibus necessariis concedere, & superiorum regularium in posterioribus monasteriis, ut probavimus *c. præced. n.* 21. *&* 28. Ergo idem de hac licentia concedenda dicendum est. Secundo, idem constat ex *dicto c. periculoso, in princip.* quod *Tridentinum eo c.* 5. non corrigit, immo se innovare, & confirmare affirmat : ibi : *de illius ad quem pertinuerit licentia, ubi Archidiaconus n.* 2. *verbo pertinuerit, Joan. Andr. num.* 2. *Anchar. n.* 3. *notabili* 4. explicant hunc superiorem esse, qui monasterio præest. At Episcopus solis monasteriis sibi subjectis auctoritate ordinaria præest, & auctoritate delegata subjectis immediatè Sedi Apostolicæ, juxta *Tridentinum eodem sess.* 25. *de regul. c.* 9. nullatenus autem præest monasteriis, quæ regularibus subduntur. Ergo in his non potest concedere ingressus licentiam, sed in solis illis. Atque ita docent *Navarrus*, dicens sic declaratum esse à Pio V. *in summa, c.* 28. *addit.* 2. *ad n.* 143. *c.* 25. *& commentar.* 4. 2. 60. *vers.* 5. *quod ille, de regul. Graffis 1. p. decisionum, tit.*4. *c.*23. *n.*6. *Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit in fine, §. 5. *Confectius in privilegiis Mendicantium, tit.*20. *c.*6. *Manuel qq. regul. tom.* 1. *q.*46. *ar.*2. *Azor. tom.* 1. *instit. moral. lib.* 13. *c.*8. *q.* 7.

14 De vicario autem Episcopi idem dicunt *Manuel, & Llamas n. præced. allegati* atque idem ait *Manuel* de vicario Capituli sede vacante: immò idem dicit *Llamas* respectu monasteriorum, quæ Sedi Apostolicæ sunt immediatè subjecta. Sed de his omnibus; ac de vicariis aliorum habentium jurisdictionem quasi Episcopalem, & de Capitulo sede vacante, est idem prorsus dicendum, quod diximus *c. præced. n.* 30.

15 Quod si petas an Prælatus conventualis possit hanc licentiam concedere. Confectius *n. præced. allegatus* videtur negare; ait enim id pertinere ad Provinciales, Generales, & alios, quibus ipsi commiserint. Sed absque dubio dicendum est id pertinere ad Prælatum conventualem, si superior illius monasterii monialium sit, necà superioribus immediatis, nec à constitutionibus ablata sit illi facultas, quia textus absolutè, & generaliter tradunt hoc ad superiorem pertinere.

16 Hinc deducitur, si auctoritate Pontificia id monasterium cuidam soli peculiari Prælato conventuali subjectum esset, non posse Generalem, aut Provincialem licentiam ingressus in id monasterium concedere, quod nullam jurisdictionem in id monasterium habeant. At poterunt, dum visitant, inquirere, an Prælatus ille justè usus fuerit hac facultate examinando, an caulæ concessionis fuerint justæ. Quia in hoc nullam in monasterium illud jurisdictionem exercent, sed in religiosum illis subjectum. Et sicut de aliis ejus criminibus, quæ admittit, non solùm ut Prælati, sed etiam ut religiosi privati, obligati ad legem Dei, ac sacros canones observanda, inquirere possunt: ita & de hoc, sic *Manuel quæst. regular. tomo* 1. *q.* 46. *art.* 5. Atque ob eandem rationem idem dicendum est de Episcopo, respectu clerici sæcularis, cui soli monasterium illud subderetur.

17 Excipiuntur tamen ab hac generali regula fratres Minores, quibus interdictum est in sua regula ingressus absque specialis Pontificis licentia, his verbis. *Præcipio firmiter fratribus universis, ne ingrediantur monasteria monialium præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis*. Quam regulam declaravit Gregor. IX. in declaratione regulæ fratrum Minorum, ut refert Collector privilegiorum Mendicantium, *verb. ingressus in monasteria monialium, n.* 1. intelligi de quarumlibet monialium Cœnobiis, cùm regula nullum excipiat. Et quamvis Alexander IV. & Innocentius VI. in declaratione præfatæ regulæ dicant ingressum in sola monasteria monialium inclusarum ordinis D. Dominici, seu Sanctæ Claræ comprehendi in hac prohibitione: at, ut notat *Collector, num.* 5. *&* 6. proximè allegatus, prædicta concessio revocata est jam, & ideo non licet ea uti. Quamvis etiam Gregorius X. referens supradictam declarationem Innocentii IV. decreverit, ut fratres Minores possint uti ea declaratione ex sui Generalis dispensatione: at Nicolaus III. in sua solemni declaratione decrevit standum declarationi Gregorii IX. quæ declaravit ingressum in quælibet monasteria esse fratrib. Minoribus interdictum, ut refert Collector *ibidem num.* 10. Quare benè ait *n.* 9. non posse jam Generalem aliquid in hoc casu propter hanc Nicolai III. declarationem.

18 Hinc deducitur, Cardinali, ac Episcopo habenti potestatem legitimam ingrediendi cum aliquibus sociis, quos elegerit, in aliquid monialium Cœnobium, non integrum esse fratres Minores in socios sibi assumere, quod speciali licentia fratrum Minorum mentionem faciente ad hunc ingressum opus sit. Et sic benè tradit Manuel *q. regular. tomo* 1. *q.* 46. *art.* 3. *paulo post principium*.

19 Concessit tamen Leo X. fratribus Minoribus, ut vocati, aut invitati à Prælatis Ecclesiarum, aut à Prælatis religiosis, vel à Visitatoribus habentibus curam aliquorum monasteriorum monialium, ad hoc ut visitent prædicta monasteria, vel exercent omnia alia, quæ in monasteriis sibi subjectis exercent; aut ad hoc ut intrent cum ipsis Prælatis, vel Visitatoribus ad videndum officinas, & totum monasterium interius, possint ingredi, non obstantibus suæ regulæ prohibitionibus, & declarationibus, dummodo, si fratres illi subditi fuerint, impetrent suorum prælatorum licentiam. Quod refert *Manuel. quæst. regularium tomo* 1. *quæst.* 47. *art.* 8. ubi optimè notat duo. Prius est, Prælatos conventuales non indigere licentia Provincialium ad hunc ingressum, quia indultum hoc loquitur de fratribus, qui ita subditi sunt, ut nullo prælationis munere fungantur; quippe eo fungentes, sicut subditis licentiam ingressus impertiri valent; ita ea quoque uti possunt. Posterius est, hoc indultum non esse revocatum per motum proprium Gregorii XIII. edito anno 1575. Idibus Junii; qui incipit; *Ubi gratia*, in quo revocavit omnes facultates ingrediendi monasteria monialium, non enim expresè loquitur de privilegio quibuscumque personis concesso, & sic de privilegio personali. Nam non solùm privilegium personale dicitur, quod alicui personæ privatæ conceditur, sed etiam quod certo personarum generi, ut constat ex *l. quia tale* 13. *juncta l. præcedenti, ff. solut. matrimonio* : ubi deciditur privilegium maritorum, ne ultra, quàm facere possunt, conveniri queant, minimè porrigi ad eorum posteros, quod tamquam privilegium personale, cum persona extinguatur. At non loquitur de privilegio reali, quale est hoc concessum toti Minorum religioni. Quippe, ut optimè, alios referens, notat *Barbosa ea l. quia tale* 39. privilegia ad personas relata dicuntur personalia; quæ autem loco, aut civitati, Collegio, vel Universitati conceduntur, realia, & ideo sunt perpetua, & ad posteros in perpetuum transferuntur, ut constat ex *l. forma* 4. §. *quamquam, ff. de censibus*, ubi *Glossa verb. transmittatur*, rationem hujus esse ait, quia etsi partes illius communitatis quotidie mutentur, manet tamen semper idem populus, sive eadem communitas, ut habetur *l. proponebatur*, 76. *ff. de judiciis*.

20 Ad ingressum etiam in Sanctæ Claræ, & Conceptionis monasteria ordini Minorum subjecta, præter casus in earum monialium regula exceptos, exigitur Sedis Apostolicæ licentia, ut poteſt videri in Collectore compendi privilegiorum fratrum Mendicantium, *verb. ingressus in monasteria monialium*, *num.* 2. *usque ad fin.* ubi varias Pontificum concessiones, & revocationes refert, Sed *Manuel Quæst. regular. tomo* 1. *q.* 46. *art.* 3. re hac latè disputata, concludit standum esse decreto *Trident. sessione* 25. *de regular. c.* 5. ubi generaliter indulget ingressum in monasteria ex legitima causa, ac superioris licentia. Quod si objicias idem *Tridentinum eadem sessi. c.* 22. ibi *Si qui verò regulares, tam viri, quam mulieres sint, qui sub arctiori regula, vel statutis vivunt, eos ab eorum instituto, & observantia sancta Synodus amovere non intendit*. Quare cum hæc monasteria ita arctam clausuram servent, ut nemini liceat, absque Sedis Apostolicæ licentia, illuc ingredi, præter casus in regula exceptos, videtur hæc monasteria non comprehendi in concessione illius *c.* 5. cùm hanc strictiorem clausuram idem *Tridentinum eod. c.* 22. observari velit. Respondent *Manuel eodem q.* 46. *art.* 6. *in fine*. Prælatos concedentes eam ingressus licentiam, non propria auctoritate niti, sed speciali concessa in eo decreto *Tridentini c.* 5. quod concedit, posse Prælatos licentiam ingressus in monialium Cœnobia concedere, nec moniales aliquas, nec aliqua monialium monasteria excipit. Verùm hæc solutio mihi non satisfacit; quia ea confessio *Tridentini eod. c.* 5. explicatur *illo c.* 22. ut non deserviat relaxandæ strictiori clausuræ per aliquarum monialium regulas indictæ. Atque ita non concedit ullam Prælatis facultatem, ut strictam hanc clausuram indigentem summi Pontificis licentia, ut ei conveniatur, relaxent, concedendo ingressus facultatem. Qua re standum est in hoc consuetudini per dictos fratres Minores introductæ legitimè, vel aliquibus privilegiis novioribus, si quæ ad hunc ingressum habeant.

21 Secunda difficultas est, an Abbatissa possit eam ingrediendi licentiam concedere? Quidam affirmat, quia tam *Tridentinum*, quam *dictum c. periculoso*, decidunt, superioris esse, eam licentiam concedere: Abbatissa autem verè est sui monasterii superior *c. illicita*, *de excessibus Prælatorum*, *c. attendentes*, §. *statuimus*, *de statu monachorum*, & istam etiam partem comprobant adducenda *hic, sequenti*, circa facultatem, quam potest concedere Abbatissa ad usum, & dispositionem bonorum temporalium. Et ideo hanc partem sustinent *Navarrus summa*, *c.* 28. *additione secunda ad num.* 143. *c.* 25.

22 At contraria sententia amplectenda est, quia ut probavimus *num.* 17. ejus est hanc licentiam concedere, cujus est monialibus clausuram indicere. At hoc non est Abbatissæ; immò ipsa quoque clausuræ simili præcepto tenetur. Ergo nec Abbatissæ est dare hanc licentiam. Quare non est concedendum id esse cujuscumque superioris: præterea, quia ex rei gravitate, & verbis utriusque textus colligitur aperte id non voluisse mulieris prudentiæ relinquere. Et ideo hanc partem sustinent *Monachus c. periculoso*, *in principio*, *num.* 1. & 2. *de statu regularium*, *in* 6. *ibi Dominicus num.* 10. *Francus num.* 5. *Navarrus sibi contradicens commentar.* 4. *n.* 59. *versic.* 3. *quod causa*, *de regularibus*. *Azor. tomo* 1. *Institut. Moralium*, *lib.* 15. *c.* 8. *q.* 6. *Manuel Quæst. Regularium*, *tomo* 1. *q.* 46. *à n.* 2. *Confectius in privilegiis Mendicantium*, *tit*, 20. *c.* 6. An verò eam facultatem in casu repentinæ necessitatis habeant, dicemus *num.* 36.

23 Potest tamen justè superior concedere generalem Abbatissis licentiam, aut confessariis concedendæ hujus ingressus facultatis, in casibus frequenter occurrentibus, ne passim Prælatus regularis, aut Episcopus, qui non tam præ manibus habentur, adiri debeant. Et sic docent *Navarr. eodem comment.* 4. *n.* 60. *vers. quarto*, *quod dubitari*. *Manuel eod. art.* 2. *in fine Graffis t. p. decision. lib.* 4. *c.* 23. *num.* 6. *in fine*.

24 Ultima difficultas est, an superiores, quibus incumbit ad hunc ingressum licentiam concedere, possint absque alicujus licentia ingredi in casibus necessariis, in quibus justè aliis eam licentiam concederent? Collector privilegiorum Mendicantium, *verbo*, *accedere ad monasteria monialium*, *quæst. ultima*, defendit hos indigere alterius sui superioris licentia. Ducitque rationibus, quas nos adduximus *libro* 8. *de matrimonio*, *disputat.* 3. *num.* 14. ad probandum neminem posse secum dispensare.

25 At verùs est, hos nulla indigere licentia: quia licèt gravis controversia sit, an possit quispiam secum dispensare, & nos *ea disputatione* 3. *à num.* 6. *usque ad* 9. tenuerimus posse, ac rationibus contrariis satisfecerimus, *num. ultimo* at, ut ibi probavimus *num.* 1. communiter à Doctoribus conceditur, posse superiores uti ea licentia, quam possunt aliis concedere. Præterea, quia Gregor. XIII. in motu proprio incipiente; *Dubiis*, *quæ emergunt*, quem edidit anno 1581. die 25. Decembris, id clarè decidit, & solùm exigit conditionem quamdam, nempè, ut associati intrent, ibi. *Declaramus præterea, tam seculares, quam regulares, quibus cura, & regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati*. Ubi nota ea verba, *facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria*. Ergo decidit hos habere ex officio facultatem utendi licentia, quam possunt aliis concedere. Et ita docent *Navarrus latè probans lib.* 3. *cons. tit. de statu monachorum*, *in* 1. *editione*, *consil.* 6. *à n.* 2. *in* 2. *consil.* 9. *à num.* 2. *Cordubа in annotat. ad Collectorem*, loco quem *n. præcedenti* allegavimus, *vers. quo adsilla duo*, *Manuel. q. regul. tomo* 1. *q.* 46. *art.* 5. *initio*, *Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit *in fine*, §. 7. *initio*, *Azor. tomo* 1. *institutionum moralium lib.* 13. *c.* 8. *q.* 9. addens id licere servatis conditionibus petitis à Gregor. XIII. in eo motu proprio, nempè, ut non ingrediantur nisi paucis, & non nisi senioribus, ac religiosis viris sociati.

26 Immò non illi soli, qui jure ordinario possunt hanc ingressus licentiam concedere, possunt quoque ea uti, sed iis quoque, qui delegatam hujus licentia concedendæ potestatem haberent, non limitatam ad certas personas, integrum esset eadem facultate uti. Quia his quoque fas esse secum dispensare eodem modo, quò cum aliis possunt, defendimus *eadem disputatione* 3. *num.* 10. & 11. nedum uti licentia, quam aliis impertiri valent.

27 Atque idem credo, si limitata esset licentia non ad certas personas, sed ad officium, ut si commissa esset facultas concedendæ licentiæ confessariis in genere ingrediendi necessitate postulante, tunc si ipse confessarius esset, posset uti eadem ingressus licentia, cùm non sit pejoris conditionis, quàm cæteri. Secus si esset licentia ad peculiares confessarios, ut ordinarios monialium, & ipse non esset ex illis.

SUMMARIUM.

An exigatur licentia specialis ad hunc ingressum? num. 28.
An debeat esse in scriptis, & ad egressum monialis à clausura? num. 29.
An si oretenus concessa sit licentia, sit mortale, & incurrantur pœnæ? refertur quædam sententia, num. 30.
Explicatur sententia Auctoris, num. 31.
An sit necessaria licentia specialis, & in scriptis, pro medicis confessariis, barbitonsoribus, & aliis ministris necessariis? refertur quædam sententia, num. 32.
Explicatur sententia Auctoris, num. 33.
An ea licentia exigatur in casibus repentinis, in quibus est periculum in mora? num. 34.
Utrum quando non potest expectari, absque mora periculo, licentia superioris, & habet Abbatissa facultatem concedendæ licentia, sit necessario expectanda ejus licentia? num. 35.
Quid si eam facultatem non habeat? refertur quædam sententia, num. 36.
Sententia Auctoris, num. 37.
An licentia data, non ad ingressum, sed ad concedendum facultatem ingressus, indigeat scriptura, & quid si sit ad ingressum eorum, quos Abbatissa arbitrabitur expedire, & an id arbitrium scripto sit tradendum? num. 38.
An exigatur causa rationabilis, & manifesta, & quando manifesta sit? num. 39.
An requiratur causa necessaria, sufficiatve causa moralis? n. 40.
An minor causa exigatur ad ingressum fœminarum, quam virorum, & inter fœminas, ad ingressum matris, aut sororum, & ad ingressum in receptacula monasterii, quàm ad officinas interiores? num. 41.
Quando dicatur hæc necessitas contingere ad exercenda ministeria domestica, & an sit justa causa ingressus ad docendas moniales cantum, aut organorum pulsum, vel ad ea temperanda? num. 42.
An justam ingressus causam habeant medici, chirurgi, barbitonsores, sartores, sutores? num. 43.
Quid de confessariis, & ministraturis Sacramenta, & facturis sepulturæ officium, ac de aperturis, & cooperturis sepulturam? num. 44.
Quoties liceat ingredi causa Sacramentorum administrandorum? num. 45.
An possint hi cum socio ingredi, & omnes illi, qui comitati solent incedere juxta sui status decentiam, & fas sit ingredi causa celebrandi? num. 46.
An sit necessaria specialis licentia ad socii ingressum? n. 47.
An justa sit causa, ut sacerdos adsit moniali proximæ morti? num. 48.
An excusentur mulieres nobiles prætextu alicujus ministerii vilis exercendi ingredientes? num. 49.
An sit justa ingressus causa ad capienda monialium suffragia in electione Abbatissæ? num. 50.
Quid ad bonam Abbatissæ electionem dirigendam? n. 51.
Quid pro benedictione aut consecratione monialis? num. 52.
Quid pro Sacramento confirmationis illi ministrando? n. 53.
Quando liceat superioribus causa visitandi officinas, aut ædificium, aut monialium cellas, ingredi? num. 54.
An liceat œconomum monasterii ingredi ad quærenda instrumenta? num. 55.
An licent ingressus ad intromittenda necessaria conventui, quæ præponderet per moniales intromisti commode non possunt, & hortulani ad excolendum, aut rigandum hortum, & pharmacopolæ? num. 56.
An liceat ingressus ad expulsionem malefactoris, qui ingressus illuc est? num. 57.
An liceat Judici ingressus ad capiendum malefactorem illum, aut ejus confessionem excipiendam? num. 58.
An ipsi malefactori liceat, ut Judicem insequentem evadat, num. 59.
An liceat ingressus in monasterium ad deponendas pecunias; n. 60.

An liceat puellas in monasterio causa educationis admittere? & declaratur, num. 61.
An in privilegiorum derogatione includatur derogatio eorum, quæ sunt in corpore juris? num. 62.
Quæ ætate possint puellæ hac causa educationis admitti? num. 63.
An liceat ingressus puellarum pauperum, quibus donantur à propinquis alimenta, ut sint in monasterio, vel si puellæ deductæ ex publicis locis causa pietatis extructis, donec nubant, vel quando puellæ sunt orphanæ, & carent congrua dote ad nuptias, vel quando viduæ vult ratione honestatis intra monasterium vitam transigere, vel quando nupta timet virum suspicantem ejus adulterium, vel quia ob sævitiam litem movent? num. 64.
An liceat monialibus habere famulas seculares? refertur quædam sententia, num. 65.
Explicatur sententia auctoris, num. 66.
An sit justa causa, ut mater assistat professioni filiæ, aut ei morienti, aut ad admittendam in hospitium aliam monialem? & remissivè de causis contentis regulæ S. Claræ ad ingressum in illius monasterio. num. 67.
An finito negotio teneantur ingredientes cum debita licentia egredi? num. 68.
An sit peccatum, & incurrantur censuræ, si postea mora trahatur modica circumeundo officinas, aut etiam causa turpi, & an ingredient cum debita licentia incurrat, si postea fornicetur? num. 69.
Quando reputetur ingressus notabilis, vel egressus, ut sit mortale, & incurrantur censuræ? num. 70.

28 QUæstio tertia. Qualis debeat esse hæc licentia, & an causis indigeat, & quæ sint illæ? Certum est, eam licentiam debere esse specialem, nec sufficere generalem, ut constat ex *c. periculoso*, *in princ. de statu regularium*, *in* 6. ibi; *nisi speciali licentia*, & ita tradunt *Archidiaconus ibi num.* 2. *verbo speciali*. *Ancharanus*, *num.* 3. *notabili* 4. *Dominicus*, *num.* 5. & 9. *Francus num.* 5. Qui omnes bene explicant, id est, specialiter obtenta: nec enim necessarium est in licentia specialem alicujus personæ mentionem fieri, sed satis est generalis licentia à superiori concessa, ut medici, aut fabri, & similes ingrediantur; quippe hæc specialis dicitur, quia specialiter ad ingressum conceditur, etsi non specialis quoad personam singularem in ea nominatam. Et ita supponit *Azor. tomo* 1. *Institut. Moralium libro* 13. *cap.* 8. *quæst.* 8. dicit enim generalem licentiam his concessam à Prælato debere esse in scriptis.

29 Insuper exigitur licentia in scriptis, ut constat ex *Tridentino sessione* 25. *de regular. c.* 5. ibi; *sine Episcopi, aut superioris licentia in scriptis obtenta*. Quare optimè dixit Confectius *in privileg. Mendicantium tit.* 20. *c.* 5. nullatenus sufficere tacitam superioris licentiam, quæ ex scientia, ac patientia eorum facilè contradicere potentium colligitur, quia nec verbis expressis ea sufficit, cùm scripta requiratur: similisque licentia in scriptis exigitur ad licitum monialis ex clausura egressum, sic enim decrevit Pius V. in motu proprio, qui incipit; *Decori, & honestati*.

30 Circa quod jure optimo dubitari potest, an hæc licentiæ solemnitas, ut in scriptis concedenda sit, ita obliget, ut læthalis culpa sit eam omittere, si causa ingressus legitima sit, atque à legitimo superiori concessa, solius tamen scripturæ solemnitas desit, ut verbotenus concessa fuerit. Ratio dubitandi, est, quia etsi *Tridentinum eo. c.* 5. petita licentia in scriptis adiecerit excommunicationem latam aliter ingredientibus; at cùm ultra scripturam petierit licentiam legitimi superioris, & causam ingressus, excommunicatio illa videtur eos solos comprehendere, qui vel absque licentia, vel absque justa causa ingrediuntur, vel moniales sic egressas, non autem, quando sola licentiæ scriptura deficit. Quippe nullæ pœnæ latæ in alicujus constitutionis violatores ligant deficientes in aliqua levi solemnitate, cùm pœnæ graves mortalem transgressionis culpam exigant, qualis non est defectus solemnitatis levis. At talis videtur scriptura, cùm non ad præcepti hujus substantiam pertineat. Adde scripturam solùm exigi, ut licentiæ concessæ testimonium sit, quo illa constet. Atque hujus sententiæ videtur Sossa in declaratione motus proprii Clementis VIII. de largitione munerum religiosis interdicta, *num.* 89. ubi cùm Pontifex sub multis pœnis interdixerit hanc munerum largitionem, nisi ex licentia superioris, & conventus in scriptis obtenta, & aliis conditionibus ibi petitis, asserit non esse reum illarum pœnarum, qui levem solemnitatem, nempe, quæ ad substantialem illius decreti rationem non spectat, omiserit.

31 Cæterùm existimo esse culpam læthalem; incurrique eas pœnas. Ducor, quod Tridentinum, & motus proprius Pii V. non absque mysterio licentiam ad ingressum, & egressum jure petitam, & verbotenus sufficientem restrinxerunt, ut non verbo, sed in scriptis sit necessario tradenda: nec id ad solum licentiæ testimonium petisse videntur, sed ut maturius, & rariùs ea licentia concedatur. Quia quicumque prudens longè maturiori consilio scripto tradenda perpendit, rariulque concedit, quàm quæ solo verbo: sicut ob eamdem rationem, *cap.* 1. *de sententia excommunicationis*, *in* 6. jubentur Prælati excommunicationem in scriptis proferre. Atque rationi dissonat existimare, Tridentinum, & Pium V. restrinxisse facultatem jure antiquiori concessam, addendo quamdam solemnitatem levem, & ad præcepti substantiam parum conducentem, cùm quæcumque juris correctio, ut valde odiosa, sit consilio valde maturo adhibenda. Secundo, quia ubi lege, vel partium conventione contractus scriptura indiget, est irritus ea deficiente, ut expressè habetur *l. contractus* 16. *C. de fide instr.* & docet ibi *Glossa verbo in scriptis*, ab omnibus recepta. Ergo licentia hæc ex his decretis indigens scriptura, erit nullius momenti absque ea concessa; ac ideo perinde esset, ac si absque licentia ingressus, aut egressus acciderent, quod omnes esse mortale pœnis omnibus subjectum fatebuntur. Tandem, quia his omnibus ductus *Navarrus lib.* 3. *cons. tit. de cleric. non resid. in* 1. *editione cons.* 23. *in* 2. *cons.* 22. *à num.* 5. *usque ad fin*, asserit licentiam concessam oretenus Prælatis, aut parochis, ut à suis diœcesibus, aut parochiis absint, eos minimè excusare à fructuum amissione decreta in *Trident. sessione* 23. *cap.* 1. *de reformat.* in eos, qui absque licentia in scriptis obtenta absunt. Et *Confectius in privilegiis Mendicantium tit.* 20. *cap.* 6. postquam dixit non sufficere licentiam legitimi superioris tacitam, sed peti, ut sit in scriptis, & ob causam necessariam, subjecit, licentiam aliter concessam esse irritam, nec à pœnis incurrendis excusare. Et expressè *Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit *in fine* §. 6. *initio*, ait esse peccatum mortale.

32 Hoc tamen temperat *Llamas eodem* §. 6. *paulo post principium*, dicens non exigi licentiam specialem, nec in scriptis, quando causa est clara, ut ad ingressum confessariorum, aut vicariorum ad Sacramenta infirmis ministranda, medici, chirurgi, barbitonsoris ad medendum illis, latomorum, cœmentariorum, lignariorum, & aliorum ministrorum, qui ad aliquod ædificium necessarii sunt. Ducitur autem, quia hi omnes excepti sunt *cap. periculoso*, *in princip.* juncta *Glossa verbo causa*, *de statu regular. in* 6. Cùm enim textus concedat ex causa justa hunc ingressum, ponit ibi *Glossa* exemplum in his ministris. Secundò, quia hi omnes comprehenduntur in licentia ædificii construendi, medendi infirmis, & similibus. Quia cùm ingressus horum ministrorum, ad hæc exceptanda, sit fini illi omnino necessarius, videtur in iis licentiis inclusus. Quippe concedens principale, videtur etiam accessoria, sine quibus principale obtineri nequit, concedere *cap. præterea*, *de officio delegati*, & *l.* 2. *ff. de jurisdictione omnium judicum*. Tandem, quia hoc ait esse receptum ab omnibus Theologis, & jurisperitis, & ita docet tenere *Navarrum cap. statuimus quod hodie*, & *commentar.* 4. *de regularibus*, *in* 6. & multos alios, quos dicit se brevitati studentem nolle referre.

33 At quamvis diligenter quæsierim, nullum alium hujus sententiæ auctorem invenire potui: & fallo allegatur *Navarrus* in eo loco, solùm enim dicit, quod *numero sequenti* referemus: immo ipse *Navarrus summa Hispana cap.* 28. *additione* 2. *ad num.* 143. *cap.* 25. *asserit*, medicos fabros lignarios, barbitonsores, lacerdotes confessiones monialium ægrarum excepturos, aut alia Sacramenta ministraturos, indigere licentia in scriptis, comprehendique in decreto *Tridentini* eam sic petente. Et idem tenet *Azor tomo* 1. *Institutionum Moralium libro* 13. *cap.* 8. *quæst.* 8. & hujus sententiæ videntur Doctores allegandi *numero sequenti*, qui tamquam quid speciale concedunt, hoc non fore necessarium, quando esset periculum in mora aditu ad superiorem expectato. Et ita tenendum est, hos quoque superioris licentia speciali eo modo, quo *num.* 28. declaravimus, & in scriptis indigere. Quia *eodem cap. periculoso* exigitur præter causam manifestam, & justam, specialis licentia superiorum. Quare non est verum, hos exceptos esse in illo textu, & Glossa *ibi verbo causa*, solùm ait in his concurrere causam, non tamen ait hos excipi, quasi jus ipsum eis ingressum inconsulto superiore concesserit. Et Tridentinum ultra causam in eo textu, & licentiam superiorum petitam, exegit quoque, ut ea in scriptis esset. Præterea, quia licet ministri hi sint necessarii: at posse jure optimo superior arbitrari aliquorum ratione juventutis, aut malæ famæ ingressum non esse monasterio decentem, ideo illius ingressum denegare, electis aliis senioribus, ac bonæ famæ. Et quamvis concedens principale, videatur concedere accessorium, id intelligendum est, nisi sit aliqua specialis illius accessorii prohibitio, qua in accessorii concessione exigatur specialis aliquis concedendi modus; is enim concurrere debet. Quod in hoc casu contingit. Quare necessarium est, ut specialiter, & in scriptis licentia ingressus his ministris concedatur.

34 Id tamen concedendum necessariò est, ubi repentina horum necessitas occurreret, & esset periculum in mora, si superioris licentia in scriptis expectaretur, eam non esse necessariam: quia aliter non satis esset repentinis his necessitatibus consultum. Atque ita docent *Navarr. comm.* 4. *num.* 60. *vers.* 4. *quod dubitari de regularibus Graffis* 1. *parte Decisionum lib.* 4. *cap.* 23. *n.* 6. *in fine*. *Azor. tomo* 1. *Institut. Moralium lib.* 13. *cap.* 8. *qu.* 8. *Manuel Quæst. regul. tomo* 1. *quæst.* 46. *art.* 2. *in fine*. Immo nec oretenus eam licentiam desiderari, significant *Navarrus*, & *Graffis ibidem*. Et probant *Navarrus*, & *Graffis*, quia ubi causa non jejunandi est manifesta, nec aditus ad superiorem patet, nulla dispensatione opus est. Cæterùm si exemplum hoc aliquid probaret, nec ea opus esset patente aditu ad superiorem, sicut in manifesta non jejunandi causa evenit: nulla enim superioris, etsi præsens sit, dispensatione opus est. Quare dicendum est, ea licentia otetenus ad ingressum concessa non opus esse, quando ea quoque

sic expectata esset periculum in mora. At si in solo scripto expectando id periculum subest, opus erit licentia verbo concessa. Quia textus petunt licentiam, & ut ea scripto concedatur. Ergo ubi necessitas non cogit ad utrumque omittendum, id necessario servandum erit, quod absque moræ periculo servari potest.

35 Urgentior autem difficultas apparet, an quando imminet periculum expectata legitimi Prælati licentia, verbo, aut scripto; at id periculum non est expectata Abbatissæ monasterii licentia, sit hæc necessario expectanda? Et quidem si Abbatissa generalem à Prælato facultatem hujus licentiæ concedendæ habeat, videtur necessario eam expectandam, & in scriptis quoque; si absque periculo sic etiam expectari valeat. Quia cùm tunc Abbatissa sit legitima Prælata ad hanc licentiam concedendam, cessat necessitas illius non obtinendæ; Et ita docent *Navarr.*, *Graffis n. prac. allegati*.

36 Punctus verò difficultatis eo pertinet, quando Abbatissæ non est ea facultas concessa. Et quidem *Navarrus*, & *Graffis n.* 33. allegati, videntur clarè sentire non esse tunc necessariam Abbatissæ licentiam; dicentes enim existente periculo in mora petendæ licentiæ non esse ea opus, limitant, nisi Abbatissæ, aut confessarii generalem Prælati facultatem concedendæ in his casibus licentiæ haberent. Et potest esse ratio, quia cùm absque ea commissione careat Abbatissa facultate hujus licentiæ concedendæ (ut *n.* 22. diximus) frustra hæc licentia expectaretur.

37 At existimo eam esse necessario expectandam. Ducor, tum quia sub judice est, an Abbatissa possit jure ordinario eam licentiam concedere, ut *numero* 21. retulimus: tum etiam, quia in casibus repentè urgentibus, in quibus non potest consuli Prælatus absque moræ periculo, Abbatissæ est eam licentiam concedere ex præsupposita Prælati voluntate, ut benè docent *Manuel Quæst. regular. tomo* 1. *qu.* 46. *art.* 2. *in fin. & quæst.* 47. *art.* 4. *in fin.* sed in hoc posteriori loco addit sat esse tunc licentiam Abbatissæ, & discretarum conventus. Sed veriùs credo, sat esse ipsius, nisi in constitutionibus aliter dicatur. Sicut ergo quando est periculum in mora consulendi Pontificis ad dispensationem rei reservatæ, est necessario expectanda Episcopi dispensatio, quippe qui ex præsumpta Pontificis voluntate, potest ratione necessitatis tunc dispensare: ita quoque in hoc casu censendum est.

38 Demum circa hæc dubitari potest, an licentia data, non ad ingressum ipsum, sed ad concedendam ingrediendi facultatem, debet necessariò esse in scriptis. *Navarr.*, *Graffis*, & *Manuel num.* 33. *allegati*, videntur fupponere eam in scriptis esse tradendam: dicunt enim in casibus repentinis, nec moram patientibus, non esse licentiam superioris expectandam, nisi Abbatissis, aut confessariis esset concessa licentia in scriptis impertiendæ hujus ingressus facultatis. Et potest probari: quia hæc licentia est indirectè, & remotè ad ingressum. At credo satis esse oretenus, quia non est verè licentia egrediendi, quam solam in scriptis petit *Tridentinum sessione* 25. *de regular. cap.* 5. Et cùm is textus limiter decreta *in cap. periculoso, in princip. de regularibus, in* 6. ubi sola licentia probatur, non est extendendus ad eam, quæ verè, & propriè non est ingrediendi licentia. Præterea, quia omnes fatebuntur, Abbatissam in hoc casu tenери dare licentiam in scriptis ad ingressum, cum nec aliter dandæ licentiæ facultatem habeat ipsemet Prælatus, nedum ejus committendæ. At si prior esset licentia ingrediendi, hæc scripto non indigeret. Quando tamen facultas solius arbitrii daretur Abatissis, aut aliis, ea facultas esset in scriptis concedenda, ut si Prælatus diceret sic: concedo ingrediendi licentiam iis personis, quas Abbatissa, aut quidam tertius arbitratus fuerit esse necessarias ad tale ministerium; Quia est vera ingressus licentia. Id tamen arbitrium nullo jure scripturam peteret: quippe quod non est ingressus licentia. Et idem prorsus in his omnibus eventibus dicendum est de licentia egressus monialis è monasterio, quam in scriptis quoque esse necessariam diximus *cap. præcedenti num.* 29.

39 Præterea, ut hæc licentia ad ingressum legitima sit, exigitur justa ingressus causa, & ut ea manifesta sit, ut constat ex *cap. unico, in princip. de statu regularium, in* 6. ibi; *nisi rationabilis, & manifesta causa existat. Ubi Joann. Andr. n.* 2. *Anchoranus num.* 3. *notabili* 4. *Dominicus n.* 9. *Francus n.* 5. *Navarrus comment.* 4. *num.* 59. *vers. tertio, quod causæ, de regularibus. Azor. tome* 1. *instit. moral. lib.* 13. *cap.* 8. *qu.* 6. *Confectius de privilegiis Mendicantium, tit.* 20. *c.* 6. *Manuel qq. regular. tomo* 1. *quæst.* 46. *art.* 8. notant conjunctim utrumque exigi, quia textus conjunctim loquitur. Non autem intelligitur, ut causa toti populo manifesta sit, sed ut ipsi Prælato licentiam concesuro, ut in simili notant *Manuel Quæst. regular. tomo* 1. *q.* 45. *art.* 4. *vers. circa causam*. Quia rarissimè posset esset toti populo, aut majori ejus parti manifesta. Item, quia cùm solius Prælati de justitia causæ judicium sit, satis est causam ipsi manifestam esse. Unde, ut benè ait idem *Manuel. eod. quæst.* 4. *art.* 8. manifesta opponitur contra dubiam: nam benè ait non exigi, ut metaphysico modo manifesta illi sit: sed satis erit morali, ut ita probabiliter eam esse justam opinetur; secus si dubia esset justitia causæ, aut ejus existentia. Quia probabilitas hæc satis est in rebus moralibus ad licitè operandum, & res esset scrupulis plena, si metaphysica certitudo exigeretur.

40 Nec sufficit quæcumque ingressus utilitas ad concedendam ejus licentiam; quia quamvis *cap. periculoso, in princip.* solis verbis generalibus petatur causa rationabilis: at *Tridentinum sess.* 25. *cap.* 5. *de regular.* ait, *in casibus necessariis*; & Gregorius XIII. in suo motu proprio, qui incipit; *Ubi gratia*, explicuit pro necessitatibus urgentibus. Quamvis autem hæc decreta diversis verborum formis utantur, at re vera in re conveniunt. Quia Tridentinum in eo decreto profitetur se inhærere decreto *c. periculoso*, & Gregorius XIII. se inhærere decretis Tridentini. Nec ista necessitas sumenda est metaphysico modo, id est, ut sit extrema, seu strictissima, sed satis est necessitas moralis, ut benè docent *Manuel Quæst. regular. tomo* 1. *quæst.* 46. *art.* 4. *& Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit in fine, *in §. vers. addimus insuper*. Quia cùm hoc præceptum sit ecclesiasticum, instar aliorum ecclesiasticorum accipiendum: at reliqua ecclesiastica tantùm necessitatem moralem ad excusandam transgressionem petunt.

41 Minor autem causa exigitur ad concedendam licentiam ingressus fœminarum in monialium monasteria, quam ad ingressum virorum, quia hic est multò indecentior honestati monialium. Minorem etiam causam petit ingressus matris, aut sororum, quàm aliarum fœminarum, quia prior, est magis rationi, at pietati naturali consonus. Hæc docet *Manuel eodem art.* 4. *versic. est autem hoc loco*; ubi etiam benè subdit, minorem, quoque causam desiderari ad ingressum in monasterii receptacula statim post clausuræ januam sita, quam ad officinas interiores. Quia minus indecens est prior ingressus.

42 Eritque causa moraliter necessaria, quando ministerium exercendum concernit moralem Cœnobii necessitatem, nec per moniales commodè exerceri potest, nec absque monasterii ingressu, secus si per illas posit exerceri, vel absque monasterii ingressu, ut benè tradit *Confectius de privilegiis Mendicantium, tit.* 20. *cap.* 6. Verbi gratia, doctura moniales cantum, non habet justam ingressus causam, quia vel id ministerium potest per monialem cantus peritam exerceri, vel si nulla perita sit, possunt moniales docendæ ad crates accedere, magistro ex alia parte extra clausuram existente; secus si tot moniales esset simul docendæ, ut ad crates doceri commodè non possent. Et idem dico de docturo organorum pulsum, eave incompositaj temperaturo, & de composituro horologium, ut benè de his duobus agens docet *Llamas* §. 6. Et denique hac unica regula cætera ministeria metienda sunt; triplicem enim conditionem petunt, nempè, ut nec per moniales, nes absque ingressu commodè exerceri valeant, necessariaque sint, ut justam ingressui causam præbeant.

43 Hinc deducitur primò, justam ingressus habere causam medicos, chirurgos, barbitonsores, medendo infirmitati monialium necessarios; & similiter fabros, & ministros necessarios alicui ædificio monasterii, & alios hujusmodi. Et sic tenet *Glossa cap. periculoso, in princip. verb. causa, de regul. in* 6. *Navarrus comment.* 4. *nu.* 59. *vers. secundò respondeo, de regul.* & omnes: imò uterque inter officiales, quorum ingressus est necessarius, sartores numeravit. Et placet quidem, quia vestibus monialium corpori dimetiendis, & panno forcipibus aptando, necessarius est sartoris ingressus: quamvis *Llamas* §. 6. id neget. Sutores autem non habent hanc justam ingressus causam; quia possent de calceorum mensura certiores fieri, vel ostenso eis calceo, vel declaratis punctis, quibus constat; & sic *Llamas ibidem*. Et demum non oportet de aliis officiis, ac ministeriis exemplum ponere, quia ex regula generali tradita *num.* 42. facilè quisque id discernet.

44 Secundò deducitur, habere etiam justam ingressus causam Confessarios, quando locus, ubi infirma jacet, non est prope aliquam fenestellam, per quam absque ingressu confessio commodè excipi possit, ut in aliquibus monasteriis me vidisse testor. Dixi, commodè, quia quandoque monialis ita surda erit, aut gravitate morbi presa, ut oporteat propiùs, quàm per fenestellam confessarium accedere. Eamdemque justam habent causam ministraturi Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ unctionis infirmis, sacerdosque celebraturus officium sepulturæ, & qui sepulturam aperturus, & cooperturus est. Hi omnes casus ex se constant, cùm satis notum sit, munia hæc per fœminas obiri nun posse.

45 Quod si petas, quoties confessarius, aut ministraturus Eucharistiam, ingredi possit; respondeo, non solùm id fas esse, quando morbi periculum ad confessionem obligat, sed etiam ipso morbi initio, ut constat ex *cap. cùm infirmitas, de pœnitentiis, & remissionibus*, & ex motu proprio Pii V. ubi jubentur medici statim in ipso morbi initio suadere infirmis, ut Sacramenta confessionis, & Eucharistiæ recipiant, tamquam valde conferentia corporeæ saluti recuperandæ, eo quod sæpè morbus in pœnam peccatorum contingat; & tamquam valde necessaria saluti animæ, cùm sepè inopinato contingat infirmum phrenesi arripi, incapacemque horum Sacramentorum reddi. Immo id licitum quoque credo, quoties ex regulæ suæ præscripto moniales solent confiteri; quod benè docent *Manuel. Quæst. regular. tomo* 1. *qu.* 47. *art.* 4. loquens de strictiori monialium Sanctæ Claræ clausura: additque idem dicendum, quoties infirma dixerit se Sacramento pœnitentiæ indigere. Et placet,

nec

nec strictè hanc indigentiam sumendam existimo; sed quando ad veram, & propriam consolationem confiteri desiderat, quia justum est tristitiam infirmæ tam salutari medicina levari. Idem etiam credo, quoties juxta laudabilem monasterii usum solent moniales confiteri, Eucharistiamque recipere, vel infirma solita est his Sacramentis uti, quia rationi consonum est, infirmas hoc solatio non destitui.

46 Sed dubitare quis poterit, an sacerdos confessionem excepturus, Eucharistiam, aut Extremam unctionem ministraturus, possit cum socio ingredi, & similiter aliæ personæ, quibus est ex justa causa permissus ingressus. Et quidem si confessarius lævcularis sit, credo non adesse justam causam, ut socius ingrediatur, quia hujusmodi confessarii incomitati accedunt decenter ad quarumcumque fœminarum confessiones audiendas. Si autem regularis sit, erit justa causa, ut unico socio comitatus accedat, quia & consuetudo, & decentia religiosa postulat, ut hi numquam soli incedant: sed saltem bini, quod urgentiori ratione postulat ingressus ad monasteria fœminarum. Sacerdos etiam, qualiscumque sit Eucharistiam, aut extremam unctionem ministraturus, potest ingredi cum socio, qui Sacramenti ministerio inserviat. Quippe indecens est, & a more ecclesiastico alienum, fœminam huic ministerio inservire: quod quidem absque omni dubio procedere compertum est, quando sacerdos monasterium ingreditur sacrum facturus in sacello valetudinarii, ut moniales infirmæ, aut quæ nondum firmam sanitatem recuperarunt, aut illinc egredi non valent, interfint sacro, cum hæc quoque ingressus justa causa sit, nec liceat fœminam sacro ministrare. Reliqui autem Eucharistiam comitantes justam ingressus causam non habent, quia statim ac ad clausuræ fores accedit Eucharistia, satis decenter moniales cereis accensis eam comitantur. Et sic *Llamas supra*, §. 6. benè ait, has Eucharistiæ processiones non esse justam causam. Aliæ quoque personæ, quibus ex causa justa licet ingressus, poterunt ingredi cum personis, quas juxta decentiam sui status comitari expediat, ut in simili dicemus *c. sequenti n.* 6. Quod non obscurè significat Gregorius XIII. in suo motu proprio, qui incipit; *Dubiis, quæ emergunt*, ubi Prælatis in casibus necessariis ingredientibus jubet, ut comitati ingrediantur.

47 Nec in his omnibus casibus existimo esse necessariam licentiam, ut socius ingrediatur, sed concessa licentia, ut sacerdos principalis ingrediatur; censetur quoque concessa ad socium, in casibus, in quibus diximus esse necessarium socium ad decentem ingressum, juxta *cap. licet, de privilegiis, in* 6. quod decidit, concesso alicui ingressu ad audienda divina tempore interdicti, censeri quoque concessum ingressum comitum decentium. Cujus rationem reddit ibi *Glossa verbo non debent*, quia alias privilegium esset inutile.

48 Justa quoque erit ingressus causa, ut sacerdos proximæ morti adsit monialì, illamque piis verbis confirmet. Quippe id munus est sacerdotis proprium, eo vel maximè quod potest occurrere tunc aliqua animi perturbatio, aut scrupulus, ad quæ sedanda sit opus confessore. Et ita docet *Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit in fine, *in §. 6. vers. addimus insuper*.

49 Tertiò deducitur, non excusari fœminas, quæ prætextu, ac specie alicujus muneris necessarii in conventu exercendi ingrediuntur, cum tamen nihil, aut parum ingressæ facturæ sint, nec id ministerium sit earum statui consonum: & hac occasione tota die in monasterio sunt, quia id est solum in hujus præcepti fraudem; insuper notabiliter postea demorantur, quod esse illicitum dicemus *num.* 68. At si revera ingrederentur ad opus necessarium conventui, quod nequit commodè per moniales exerceri, & in illo occuparentur non minus, quam famulæ, & mulieres viles ad id alias ingressuræ, atque finito opere exirent eo modo, quo teneri dicemus *num.* 68. *&* 69. excusarentur utique, quamvis quadam videndi Cœnobii curiositate potius ducerentur, Quia revera ex causa necessaria ingrediuntur, & illam exequuntur. At tunc requirent ingredi cum comitatu decenti: quia non ingrediuntur nisi instar famularum.

50 Quartò deducitur, non esse justam ingressus causam, ut superior, quicumque illæ sit, qui electioni Abbatissæ præsit, capiat monialium suffragia; sed ante cancellorum fenestellam sunt ea accipienda. Quod expresè decidit in *Tridentino sess.* 25. *c.* 7. *in fine, de regular.* Quare minimè audiendus est *Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit in fine, §. 7. ubi ait hanc esse justam ingressus causam. Quia ante electionem, & post, & in ipsa electione sunt quædam a Prælato facienda, quæ ejus ingressum exigunt, ut electuras admonere, & dirigere. Quare cum id fit per fenestellam, res est plena suspicionibus, quoad suffragia ferentes. Et ad Tridentini decretum respondet, dicens id non præcipiendo, sed consulendo statuisse. Et potest probari, quia simplicibus verbis utitur dicens, *non ingrediatur, sed per fenestellam suscipiat*. Cæterum displicet hæc sententia, tum quia ea prævia exhortatio, qua ad rectam electionem inducantur, & dirigantur moniales, potest satis commodè ad monasterii crates clausis Ecclesiæ januis haberi, ut aliæ exhortationes quotidie fiunt: tum etiam, quia etsi Concilium non utatur ibi verbis rigidis præceptum denotantibus at satis clarè decidit, hanc non esse justam, ac necessariam ingressus causam: & *c.* 6. *ejusdem sessionis*, sub excommunicationis latæ pœna ingressum præterquam casibus necessariis interdixerat. Id tamen concedendum est; quando eæ circumstantiæ peculiares in electione concurrerent, ut prudenter judicaretur necessarius Prælati ingressus, posset utique ingredi comitatus aliquibus personis, ut jubet Gregorius XIII. in motu proprio, quem *n.* 2. retulimus, ut si esset magna subornationis suspicio, aut moniales maximè inquietæ esset. Quia non est credendum, Tridentinum voluisse negare ingressum in hoc casu tantæ necessitatis ad bonum commune ex bona Abbatissæ electione. Et ita docet *Manuel Quæst. Regular. tom.* 1. *q.* 46. *art.* 4. *in fin. & art.* 5. *initio*.

51 Quintò deducitur, quo in casu sit verum quod tradit *Navarrus comm.* 4. *n.* 59. *vers.* 2. *respondeo, de regul.* ubi ait, licitum esse ingressum vocati ad bonam Abbatissæ electionem in monasterio dirigendam. Quod quidam negant *Azor. tom.* 1. *instit. moral. lib.* 13. *c.* 8. *q.* 6. *Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit in fine, §. 8. *in fin.* Est enim intelligenda sententia *Navarri*, ut habeat verum, quando ingressus ille ob aliquas circumstantias esset ad id necessarius, nec sufficeret extra clausuram esse, juxta dicta *num. praced.* & docet *Manuel eodem art.* 5.

52 Sextò deducitur, nec licere ingressum pro benedictione, & consecratione monialis, vulgò, *para dalle el velo*, cum hoc per fenestellas, aut crates Ecclesiæ fieri valeat. Atque ita benè docent *Llamas eodem* §. 8. *initio*, *Manuel Quæst. Regul. tomo* 1. *q.* 47. *art.* 10.

53 Septimò deducitur, nec integrum esse Episcopis illuc ingredi ad sacramentum confirmationis alicui monialium ministrandum, nisi in periculo mortis esset, & subinde non posset ad fenestellam ibi confirmanda accedere, & periculum esset decedendi absque illo sacramento, quia extra hunc casum potest ministrari per fenestellam, per quam moniales Eucharistiam recipiunt.

54 Octavò deducitur, licere ingressum superioribus cum comitatu præscripto a Gregorio XIII. quando visitationem inchoare volunt, quia debent illis edicta proponere, denunciare visitationem, exhortationem ad eas habere, quæ omnia fieri debent secreto, & exclusis novitiis, & converfis, & ministrantibus monasterio, ad quod secretum nullus alius locus aptior est capitulo conventuali, quo moniales conveniunt ad occultas conventus res tractandas. Insuper possunt ingredi causa visitandi officinas conventus, cellas monialium, & supellectilem, dormitorii decentiam, ædificium aliquod, si quod construitur, aut construendum est, aut aliquod minatur ruinam, & finita visitatione ad capitulum conventuale venire ad suæ visitationis publicationem, & culparum inde resultantium correctionem; & ad hæc omnia, ad visitationem hanc judicialem faciendam, & denunciandam, ejusque jam finitæ publicationem, debent secum notarium inducere, ut omnium illorum testimonium det, & actus judiciales faciat, quia in his casibus manifesta necessitas concurrit, & ita docet *Llamas in methodo curationis*, *in appendice* §. 7. dicens sic praxi receptum.

55 Nonò deducitur, licere quoque ingressum æconomi monasterii ad quærenda instrumenta in archivio intra monasterium existente, quando ad aliquod negotium est necessarium illa inspicere, nec per moniales quæri possunt. Sic *Llamas eadem appendice* §. 6.

56 Decimò deducitur, licere ingressum bajulorum ad intromittenda in monasterium necessaria illi, quando nimis onerosa essent, ac proinde per moniales intromitti commodè nequeunt. Quod majori ex parte delicatæ sint, nec his oneribus assuetæ; & sic praxi receptum est, & docet *Llamas eodem* §. 6. ubi etiam bene tradit licere quoque hortulanis ingredi causa horti interioris monasterii rigandi, & excolendi, quia hæc per mulieres fieri commodè nequeunt: Bene quoque ibi ait, non licere pharmacopolæ ingredi ad potionem medicam infirmis porrigendam, quia ea per ipsas moniales porrigi potest. Si tamen esset opus ingredi pharmacopolam, ut doceat moniales aliqua medicamenta asservanda in monasterio condire, esset licitus ingressus, quia est necessitas moralis.

57 Undecimò deducitur, licere quoque ingressum virorum ad expellendum malefactorem, qui monasterium ingressus est, nec exire vult, quia dedecet illum cum monialibus esse, & cum illæ timidæ sint, non erunt potentes ad expellendum. Sic *Llamas eod.* §. 6. *Manuel quæst. regul. tom.* 1. *q.* 47. *art.* 4. *in fin.* & a fortiori ad illum ejiciendum integrum erit tunc Judici ingredi, quia commodius per illum ejicietur.

58 Sed major difficultas est, an liceat ingredi Judicem, ut malefactoris illius confessionem excipiat, aut illum captum in carcerem ducat? Et quidem si non omnino exploratum sit, malefactorem illum non gaudere immunitate Ecclesiæ, manifestum est ad neutrum horum licere ingressum, sed solum ad ejiciendum illum è clausura, ut sit in alio exteriori monasterii spatio gaudente Ecclesiæ immunitate, quia in hoc casu neutiquam licet illum Ecclesia extrahere, ut in carcerem trudatur, nec cogere ad confessionem. Si autem res manifestissima sit, eum non gaudere immunitate Ecclesiæ, poterit ex licentia superioris ad illum capiendum ingredi; quod si esset periculum in mora, vel si injustè denegaret licentiam, posset absque illa ingredi, quia in priori casu necessitas urgeret: in posteriori autem injustè privaretur jure suo.

59 Quod si petas, an malefactori ipsi liceat ingressus, ut periculum insequentis Judicis evadat, qui merito timet fore, ut Ecclesia extrahatur; Existimo non licere monialibus illum admittere, quia dedecet earum statum malefactorem intra clausuram tueri. At malefactor ille in eo discrimine constitutus, non peccaret ingrediendo, si fores apertas reperiret, tum quia præsentaneum periculum animam maturioris deliberationis præripit, tum etiam, quia licet adverteret, jus tuendi vitam vel grave corporis damnum, ut si pœna mortis flagellorum, aut triremium plectendus esset, ipsum excusat.

60 Duodecimo deducitur, quid dicendum de casu, qui his proximis diebus Hispali contigit: concessa est enim facultas ingressus in monasterium, causa deponendi intra illud pecunias; quod quidem rarissimè approbare auderem, nimirum quando deponens ita de monasterio bene meritus esset, ut depositum ei absque magna ejus ostensione, & gravi monasterii damno denegari non posset, vel quando præ angustia oppidi, vel ob alias circumstantias, non esset alius locus tutus, ad eas pecunias deponendas, & ideo charitas depositum illud admittere suaderet; & tantum est pecuniæ pondus fore intra arcam inclusæ, ut non possit commodè per moniales intromitti.

61 Decimotertiò deducitur, quid dicendum sit de admissione puellarum intra monasteria monialium, ut ibi honestè educentur; quippe id videtur illicitum, cum nulla necessitas ex parte monasterii concurrat. Præterea, quia Sixtus V. in quodam motu proprio edito anno 1589. die quinta Januarii, quem refert *Manuel quæstionibus Regularibus tomo 1. quæst. 46. art. 6.* revocavit omnes licentias a Sede Apostolica, & a se concessas mulieribus cujuscumque status ingrediendi in monasteria monialium, & ibi permanendi ad tempus, & jussit jam ingressas exire, addens pœnam excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reservatæ contra violatores illius decreti, ingrediendo, aut ibi permanendo. Sed dicendum est, licere hujusmodi ingressum concurrentibus his conditionibus. Prima est, ut institutum religionis, aut aliquid aliud non repugnet. Secunda, ut monasterium alioqui tales recipere consueverit. Tertia, ut accedat superioris licentia, in scriptis obtenta, & consensu Abbatissæ, & conventus. Quarta, ut sine ancillis in monasterio commoretur. Quinta, ut nequeant clausura egredi, ac semel egressæ non possint iterum admitti. Sexta, ut vestitu virginibus convenienti in monasterio utantur. Septima, ne ultra vigesimum quintum ætatis annum intra monasterium retineantur. Quibus servatis conditionibus id licere tradunt referentes sic declarasse Congregationem Cardinalium, *Antonius Cuccus lib. 3. instit. moral. tom. 2. n. 11. & Emmanuel Sa Summa, verbo monasterium num. ult. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 3. c. 8. q. 4. Manuel Quæst. regular. tom. 1. q. 46. art. 10. Paulus Fuscus de visitatione, & regimine Ecclesiarum, lib. 2. c. 19. n. 27. & 28. Confectius in privileg. Mendicantium tit. 20. c. 7. Thomas Zerola in praxi Episcopali, in 2. edit. p. 1. verbo moniales, ad decimum quæsitum. Sorbus in compendio privileg. Mendicantium 2. p. verbo ingressus monasteriorum monialium, in suis annotationibus, vers. de puellis autem.* Quod idem licere, nec esse contra decretum Tridentini asseverat *Navar. comm. 4. n. 67. vers. 5. Quod mea sententia, de regularibus.* Et quinta illa conditio intelligenda est, nisi causa medendi morbo egredercntur, & ex licentia superioris & sic declarasse Congregationem Cardinalium asseverant *Emmanuel Sa, Paulus Fuscus, Confectius, Thomas Zerola, Manuel ibidem.* Nec obstat motus proprius Sixti V. in contrarium allegatus, quia bene respondit *Manuel ead. q. 46. art. 6.* solùm prohiberi ingredi, & stare in monasterio virtute facultatum, quæ a Sede Apostolica hactenus ad id concessæ erant, ut constat ex ejus tenore, ibi; *à Sede Apostolica, & à nobis concessa.* Non autem prohibetur ingressus virtute juris communis, & Conciliii Tridentini concessus, quod eo vel maximè verum est, quia in generali privilegiorum derogatione non comprehenduntur facultates, & privilegia in corpore juris inserta: ut optimè tradunt *Glossa l. hæres absens in principio, verbo excusatur, ff. de judiciis*, & clarius *authent. quæ in provincia, verbo illic, in fine. C. ubi, de crimine agi oportet. Felinus c. 1. n. 12. de rescriptis. Gregor. Lopez. lib. 2. verb. apartadamente tit. 8. p. 3. Perez. lib. 4. ordin. tit. 4. lib. 22.* & alii, quos refert, & sequitur *Menochius de Præsumption. lib. 6. præsumpt. 40. nu. 45.* Præterea per nullam clausulam, quantumvis generalem, derogatur privilegio concesso in Concilio, nisi illius fiat specialis mentio, ut probavi *lib. 3. de matrim. disp. 26. n. 7.*

62 Insuper refert *Thomas Zerola n. praced. allegatus* aliam Congregationem Cardinalium declarasse tres alias conditiones petitas ad hujusmodi puellarum intra monasteria educationem. Prima est, ut non sint supra numerum præfixum. Secunda, ut quolibet semestri anticipata alimenta solvantur. Tertia, ut sint separatæ a loco destinato monialibus, & novitiis ad dormiendum, ac operibus manuum vacandum.

63 Quod si roges, qua ætate hujusmodi puellæ admittendæ sint; *Thomas Zerola eodem verbo moniales, ad 11. quæsitum* refert, Archiepiscopum Sunentinum dixisse sibi, non debere admitti, donec septennium excedant: ac semper in facultatibus a Sacra Cardinalium Congregatione concessis ad has puellas admittendas explicari, dummodo majores septennio, ac minores viginti quinque annis sint. Dedecet enim infantulas intra monasteria retineri, quasi in cunis, & cum nutricibus.

64 Immo quamvis non causa educationis puellæ velint monasterium ingredi, sed quia tuto domi suæ ob tenues facultates ali nequeunt, & a propinquis alimenta suppeditentur ea lege, ut in monasterio aliquo collocentur, est licitus ingressus servatis prædictis conditionibus. Et ita docent dicentes sic declarasse Congregationem Cardinalium *Thomas Zerola, & Azor. n. 60. allegati.* Idem juris etiam est de puellis, quæ delectæ sunt ex Xenodochii, & aliis publicis locis gratia pietatis extructis, donec idonea eas in matrimonium collocandi se offerat occasio. Si dicentes ita declarasse Cardinales, *Azor ibidem, & Manuel Quæst. regul. tom. 1. quæst. 46. art. 10.* in octava Cardinalium declaratione. Atque idem refert *Azor.* declarasse Cardinales de iis, quæ parentibus, & propinquis destitutæ carent congrua ad nubendum dote. Sed *Manuel ead. art. 10. in 9.* declaratione refert verba Cardinalium, quæ continent admissas esse tolerandas servatis prædictis conditionibus: at in posterum nullas tales esse admittendas. Idem refert *Azor.* declarasse Cardinales de viduis bonæ famæ, quæ honestatis causa in monasterium se abdere cupiunt. Sed *Manuel ead. art. 10. declaratione 10.* refert, eos tantum declarasse receptas esse retinendas, dummodo prædictas conditiones observent; at in posterum nullas admittendas. Atque in declaratione 11. refert cum *Antonio Cucco lib. 3. instit. moral. tom. 2. n. 12. & Thomas Zerola in praxi Episcopali in 2. edit. part. 1. verbo moniales, ad 8. quæsitum, vers. 2.* Cardinales declarasse, non licere Episcopo dare licentiam ingressus viduæ optanti in monasterio esse usque ad vitæ finem cum habitu sæculari, ut vitam quietius transigens animæ suæ saluti consulat. Idem refert *Azor. & Manuel ead. art. 10.* in declaratione 13. declarasse de muliere nupta ad monasterium confugiente timore viri suspicantis eam esse adulteram; potest enim recipi. Sed idemnet *Manuel* ibi in declaratione 14. *& Thomas Zerola eodem verbo moniales, ad 21. quæsitum*, referunt eosdem Cardinales iterum declarasse, mulieres, quæ in discordia sunt cum marito, & ejus sævitiam timent, ac culpa carent, posse, si jam receptæ sint, detineri servatis dictis conditionibus: at in posterum eis non debere recipi. Tandem *Navarr. lib. 4. consil. in 2. edit. tit. de divortiis, cons. 5. n. 2.* dicit lite inter conjuges ob viri sævitiam durante posse uxorem intra monasterium recipi, dum lis componitur, & ad concordiam reducitur. Et *Addition. ibi in fin.* ait Congregationem Cardinalium tradidisse quamdam formam in hoc servandam: quam *Thomas Zerola eo quæsito 21.* asserit se vidisse, & continere conditiones, quas *n. 61.* retulimus servandas a puellis causa educationis in monasterium ingrediendis.

65 Decimoquarto deducitur, quid dicendum de admissione sæcularium famularium in monasteria monialium, ut in officiis culinæ, & aliis inserviant monasterio? *Manuel quæst. regul. tom. 1. q. 46. art. 7. in initio*, dicit ibi esse certissimum, licere has ancillas habere in monasteriis, quæ sola clausuræ lege communi astringuntur ex præcepto jurisdictionis dummodo foras non exeant; & postea latè disputat, quid dicendum in monasteriis Sanctæ Claræ, & aliis, quæ strictiorem clausuram servant. Et concludit non licere eis famulas, habere, si moniales conversas (vulgò *legas*) & non choro deputatas habent, quæ illis ministeriis vacent; secum si illis careant. Quia choro deputatas oportet his domesticis officiis non impedari, ut altioribus chori ministeriis vacent, & tempore novitiatus ultra chorum vacent cantui, & instituto monasterii addiscendo. Insuper, quia sæpè sunt delicatæ, nec his officiis assuetæ: & ita durissimum esset, eas onere horum officiorum gravari. Et *art. 8.* disputat, an pro peculiari monialis infirmæ obsequio liceat famulam introducere; & respondet, quando monasterium famulas sæculares habet, id absque dubio esse verum: nam, si pro sanarum obsequio id licet, a fortiori pro obsequio infirmæ. At si monasterium sit Sanctæ Claræ, ait sic distinguendum; si ex malitia, & charitatis monialium defectu oriatur, ut non satis illi moniali infirmæ ministretur, non licebit famulam introducere, sed superioris erit moniales ad id compellere: secus si ex aliarum impotentia id proveniat. Et *art. 9.* tractat, an liceat peculiari moniali, eo quod cæteris sit illustrior, habere famulam sæcularem intra monasterii claustra; & respondet, in monasterio Sanctæ Claræ id non licere: at in aliis id licitum esse, attenta hujus præ cæteris nobilitate, & consuetudine immemorabili. Et concurrenti hac duplici conditione idem affirmant *Navar. comm. 4. n. 66. & 67. de regul. & Thomas Zerola in praxi Episcopali, in 2. edit. p. 2. verbo moniales, dubio 5.* dicens se vidisse ita praxi observari Neapoli, & alibi.

66 Sed breviter dico, licitum esse pro totius monasterii obsequio has famulas sæculares habere, quoties non essent converlæ professæ pro iis ministeriis conventus. Quod probat ratio *n. praced.* adducta, secus ubi essent: quia tunc nulla concurrit necessitas. At pro privatæ monialis ministerio id in illo conventu tam facile admitterem, nisi quando specialis ratio magnæ nobilitatis personæ, aut ægre valetudinis, aut nimiæ senectutis causam præberet, nec satis ei necessitati per monasterii famulas, aut conversas consuli potest. Nec distinguo, an ex aliarum malitia, aut absque illa id oriatur. Quamvis enim ex malitia proveniat, si superior non potest commodè eas cogere, aut si coactæ malæ ministrabunt, justa est habendæ famulæ causa. Quare nimis strictè loquu-

loquutus est *Llamas in methodo curationis*, in appendice, quam ponit in fine, *in §. 11. fin.* ubi exigit casum quasi extremæ necessitatis.

67 Ultimo deducitur, non esse justam hujus ingressus causam, ut superior det illius licentiam, ut mater professioni filiæ adsit, aut eam morti proximam invisat. Quia hæc non est necessitas moralis, immò sæpè morientem majori tristitia præsentia matris afficit; & ita tenent dicentes sic declarasse Cardinales *Cuccus lib. 3. instit. moral. tom. 2. num. 12. & Manuel Quæst. Regular. tom. 1. qu. 46. art. 11.* An vero sit justa causa admittere in hospitium monialem in aliud monasterium transeuntem, aut justè extra clausuram existentem, diximus *n. 9. & 10.* De causis autem specialiter petitis in Regula Sanctæ Claræ ad ingressum in monasteria illius, consulendi sunt *Collector* privilegiorum Mendicantium, *verbo ingressus monasteriorum monialium. Cordubæ in addit. & Manuel Quæst. Regular. tomo 1. q. 47. ab art. 4. usque ad 9.*

68 Tandem difficultas est, an ingredientes monasteria monialium ex legitima licentia tencantur finito negotio exire? Breviter respondetur, teneri finito negotio exire, quod probant rationes omnes, quibus *c. praced. nu. 60. & 61.* probavimus monialem egressam ex legitima licentia, teneri causa egressus finita, redire in monasterium. Hæc tradunt Collector privilegiorum Mendicantium, *verbo ingressus monasterio rum monialium, notabili 1. ad fin. vers. ultra omnia supradicta. Manuel Quæst. Regular. tomo 1. q. 47. art. 11.*

69 Cum tamen hoc sit præceptum morale, non metaphysico, sed morali modo intelligendum est: nam si aliquantulum demoretur circumiens officinas ex aliqua curiositate, excusatur; sic *Collector, & Manuel alleg. num. praced.* Et quamvis Collector loquatur de excusatione a peccato mortali: at *Manuel* videtur etiam loqui de excusatione a peccato veniali, & rectè quidem. Quia cum id præceptum morali modo intelligatur, nec venialiter in ipsum delinquitur, ut mora illa brevis sit. Limitat uterque nisi corrupta adsit intentio, tunc enim peccabitur: & addit Collector incurri quoque censuras. Sed hunc peccare manifestum est ratione corruptæ illius intentionis. At existimo eum non peccare contra præceptum hoc clausuræ: quia cum legitima licentia ingressus est, & finito negotio nulla fuit moralis mora, ad quod solum præceptum hoc obligat, immo licèt diutina esset mora, & corrupta quidem intentione, existimo eum ab his censuris liberum esse: sicut *cap. pracod. num. 70.* diximus non incurrere censuras monialem cum legitima licentia egredientem, si finita egressus causa, diuturnam extra monasterium moram trahat quacumque prava intentione, quia re vera non dicitur hic egressus absque licentia, & censuræ contra hunc solum latæ sunt. Et favet *Thomas Zerola in praxi Episcopali, in 2. edition. part. 1. verbo moniales, ad 8. quæsitum, vers. 4.* ubi ait, non incurrere censuras ex causa justa, & legitima licentia ingredientem, si cum moniali intra monasterium fornicetur.

70 Ex quo infertur, transgredientes clausuram modico ingressu, excusari a culpa læthali, & a censuris in transgressores latis, quia modicum ab his excusare solet: sic *Graffis 1. p. decis. lib. 4. c. 23. n. 25.* Quod quidem verissimum est. Atque eadem ratione idem dicendum de modico sanctimonialis egressu ex clausura; hoc autem modicum existimat *Graffis*, quando duos solos pedes esset intra portæ clausuram; atque idem diceret de ingressu. Sed id non credo, quia cum hic sit verus intra clausuram ingressus, vel ex ea egressus, sufficiens est ad culpam læthalem, & censuras incurrendas. Nec modicum reputatur, quando perfecta transgressionis ratio in illo reperitur. Unde optimè dixit *Lelius Zecchius de casibus reservatis, casu 10. num. 1.* consistentem in solo ostio, sito intra claustra, subjici his censuris. Idque probatur, quia stans in ostio censetur esse in domo, & incurrit pœnas ingredientis domum, ut tradunt *Bartolus lib. 1. §. hoc interdictum num. unico, ff. de cloacis, Baldus rub. paulò post principium, vers. hic adde ff. solut. matrim. Alex. consil. 137. nu. 14. vol. 2.* ubi & alios refert, *Jason. l. plerique, num. 20. limit. 4. ff. de in jus vocando, & idem Jason l. cætera §. hoc Senatus consultum num. 11. ff. de legat. 1.* Quare modicum in hoc ingressu, & egressu existimarem, quando hæc non sunt perfecta, & consummata, sed semiplena: quia nimirum pars corporis est intra, pars autem extra; nec aliquid refert, an major corporis pars sit intra, aut extra: dum enim totum corpus non est intra, aut extra, non sunt perfecta ingressus, & egressus, ut culpæ læthali, & censuris subdantur. Quamobrem nec censerem comprehendi eum, qui est in ostio, quia ostium est partim intra, partim extra clausuram, ut benè docet *Glossa c. cum sanctam, verb. vir ergo, de pœnitentia d. 6. Baldus, & Alex. & Jason d. l. cætera num. 11. proximè allegati*; & quamvis hoc non obstante dicat *Baldus, & Jason ibi*, sat esse fieri in ostio, ut comprehendat quævis pœna statuti punientis delinquentem in domo, sat enim est tangere partem.

SUMMARIUM.

Proponuntur textus statuentes pœnas in ingredientes extra casus permissos in monasteria monialium, n. 71.

Explicantur in particulari, quot genera personarum sub illis pœnis comprehendantur, & quæ sint, quibusque statuta, n. 72.

An incurratur excommunicatio Tridentini circa ingredientes monasteria monialium, si licentia non obtineatur in scriptis, aut iste obtineatur, at casus non est necessitatis, vel decipit superiorem, vel tempore ingressus cessarat necessitas, vel data fuit absque justa causa, at tempore ingressus adfuit justa causa; & an hæc excommunicatio sit reservata, & an licentia importet arbitrium boni viri? n. 73.

An eam excommunicationem incurrat femina absque superioris licentia ingrediens monasterium animo assumendi habitus? n. 74.

Quid quando ingressus est modicus, vel quando finito negotio, ingrediens demoratur intra claustrum? n. 75.

An excommunicatio Gregorii XIII. contra ingredientes monasteria monialium prætextu licentiarum, quæ usque tunc concessæ sunt, comprehendat etiam licentias ab Episcopis, & aliis Prælatis concessas? n. 76.

An ea excommunicatio, & lata in motu proprio Pii V. contra feminas ingredientes in monasteria virorum, ac regulares, qui admittunt sic ingredientes, liget solos ingredientes virtute facultatum antea concessarum? referitur duplex sententia, n. 77. & 78.

Explicatur sententia Auctoris, n. 79.

An habentes dictas facultates, nec illis inimici ingrediuntur, incurrant, & illes admittentes? n. 80.

An admittentes non virtute facultatum incurrant aliam excommunicationem? n. 81.

Quid si ingrediatur ex ignorantia culpabili, & ex eadem admittatur? n. 82.

An excommunicatio, privatio officiorum, & inhabilitas ad illa, quæ statuuntur contra facientes, & permittentes ingredi virtute facultatum, sint reservata, & quid possit Episcopus, aut superiores religionis circa illa, sive occulta, sive publica sint? n. 83.

An non soli superiores, sed etiam alii religiosi privati permittentes ingressum incurrant has pœnas? n. 84.

Quid intelligatur: & addit Collector incurri quoque censuras, Sed hunc peccare manifestum est ratione corruptæ illius intentionis. At existimo eum non peccare contra præceptum hoc clausuræ: quia cum legitima licentia ingressus est, & finito negotio nulla fuit moralis mora, ad quod solum præceptum hoc obligat, immo licèt diutina esset mora, & corrupta quidem intentione, existimo eum ab his censuris liberum esse: sicut cap. pracod. num. 70. diximus non incurrere censuras monialem cum legitima licentia egredientem, si finita egressus causa, diuturnam extra monasterium moram trahat quacumque prava intentione, quia re vera non dicitur hic egressus absque licentia, & censuræ contra hunc solum latæ sunt. Et favet Thomas Zerola in praxi Episcopali, in 2. edition. part. 1. verbo moniales, ad 8. quæsitum, vers. 4. ubi ait, non incurrere censuras ex causa justa, & legitima licentia ingredientem, si cum moniali intra monasterium fornicetur.

An incurrant moniales ex ignorantia, aut oblivione admittentes? n. 96.

Quid si bona fide admittant, ut abscondant? n. 97.

Quas pœnas incurrant Prælati regulares, aut sæculares ingredientes Cœnobia monialium sibi subdita præter casus necessitatis, & an illæ sint reservatæ, & quis in eis dispenset? n. 98.

An Prælati sæculares carentes dignitate Pontificali eas incurrant? n. 99.

Et quid quando soli, aut non comitati personis habentibus conditiones petitas ingrediuntur? n. 100.

An Prælati Pontificali dignitate præditi incurrant excommunicationem pro tertio, & ulteriorius ingressibus? n. 101.

An Prælati regulares pro his quoque solis pœnas incurrant? n. 102.

An incurrantur omnes hæ pœnæ, & censuræ, quando delictum ingressus, aut admissionis est occultum? n. 103.

An sint alia excommunicationes antiquitus latæ contra ingredientes peculiaria monasteria? n. 104.

71 Quæstio quarta. Quas censuras, pœnasque contrahant ingredientes extra casus licitos in monasteria monialium, & cujus sit ab eis absolvere. Præmittendum est, quæ sint hæ pœnæ, *Trident. sess. 25. de regular. cap. 5.* excommunicationem ipso facto induxit in ingredientes claustra monialium præterquam in casibus necessitatis, & ex superioris licentia in scriptis obtenta. At absolutionem ejus non reservavit, nec pœnas statuit monialibus admittentibus aliter ingressos. At Gregorius XIII.